PATRUM S. J.
SAN JOSE

SCRIPTURA

SACRA.

SCRIPTURA

SACRA

IN

FORMAM MEDITATIONUM

REDACTA;

A PATRE

NICOLAO LE PAULMIER,

Societatis Jesu.

ALMA COLLEGE
060.32
LIBRARY
P285
Alma, California

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

APUD PERISSE FRATRES BIBLIOPOLAS.

LUGDUNI.
VIA MERCATORIA, N. 33.

PARISIIS.
VIA DICTA DU POT-DE-FER-ST-SULPICE, N. 8.

1842

44985

LUGDUNI. — EXCUDEBAT G. ROSSARY,
via S. Dominici, n. 1.

REGI

SÆCULORUM IMMORTALI, INVISIBILI,

SOLI DEO (1).

Eructavit cor meum verbum bonum : dico ego opera mea regi (2), * Deo cœli (3), * dominatori universæ terræ (4); * quoniam ex ipso sunt omnia, ipsi gloria (5).

* Benedictus es, Domine Deus Israel (6); * tua sunt omnia : et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. * Scio Deus meus quod probes corda, et simplicitatem diligas; unde et ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc.

* Quomodo dilexi legem tuam, Domine! tota die meditatio mea est (7); * defecerunt oculi mei in eloquium tuum; * tribulatio et angustia

(1) 1. Tim. 1. — (2) Ps. 44. — (3) 1. Esd. 6. — (4) Zachar. 4. — (5) Rom. 11. — (6) 1. Par. 29. — (7) Ps. 118.

invenerunt me : mandata tua meditatio mea est ; * funes peccatorum circumplexi sunt me : et legem tuam non sum oblitus. * Hæc me consolata est in humilitate mea : * et consilium meum justificationes tuæ.

* Mirabilia testimonia tua : * desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum (1) : * dulciora super mel et favum, ideo scrutata est ea anima mea (2).

* Narraverunt mihi iniqui fabulationes : sed non ut lex tua.

Narraverunt mihi * seductiones cordis sui (3), * doctas fabulas (4), leges populorum (5) * historias et annales priorum temporum : sed non ut lex tua (6), * lex convertens animas (7), * lex veritatis (8), * justitiæ (9), * vitæ aternæ (10).

Narraverunt * prudentiam atque doctrinam, erroresque et stultitiam (11) ; * dispositionem orbis terrarum, virtutes elementorum (12), * anni cursus, et stellarum dispositiones, * cogitationes hominum, * et quæcumque sunt absconsa, * sine disciplina quæstiones : sed non ut lex tua (13) ; * infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei (14).

Narraverunt mihi * in persuasibilibus humanæ

(1) Ps. 18. — (2) Ps. 118. — (3) Jerem. 23. — (4) II. Petr. 1. — (5) Jerem. 10. — (6) Ester. 6. — (7) Ps. 18. — (8) Malach. 2. — (9) Sap. 6. — (10) Joan. 6. — (11) Eccle. 1. — (12) Sap. 7. — (13) II. Tim. 2. — (14) Sap. 7.

sapientiæ verbis : sed non ut lex tua (1) * in ostensione spiritus et virtutis.

Narraverunt mihi * sapientiam hujus sæculi, principum hujus sæculi : sed non ut lex tua * sapientiam præstans parvulis (2), * Dei sapientiam (3); * quam nemo principum hujus sæculi cognovit.

* Omnia hæc tractavi in corde meo, ut curiose intelligerem (4) : * et agnovi quod in his esset labor et afflictio spiritus (5). * Beati servi tui, qui audiunt sapientiam tuam (6); * quin imo beati qui audiunt et custodiunt. * Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam (7); * erravi sicut ovis quæ periit : quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus. * Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.

* Confitebor tibi, Domine Rex, et collaudabo te Deum salvatorem meum (8) : * laudabit usque ad mortem anima mea Dominum. * Da mihi intellectum (9), * revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua usque ad mortem.

* Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis ; * lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa. * Confitebor nomini tuo : quoniam adjutor et protector factus es mihi (10); * vivet anima mea, et laudabit te (11),

(1) 1. Cor. 2. — (2) Ps. 18. — (3) 1. Cor. 2. — (4) Eccle. 9. — (5) III. Reg. 10. — (6) Luc. 11. — (7) Ps. 118. — (8) Eccli. 51. — (9) Ps. 118. — (10) Eccli. 51. — (11) Ps. 118.

* o Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus (1).

* Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te (2).

(1) Ps. 115. — (2) Ps. 85.

PRÆFATIO.

Meditationum solis sacræ Scripturæ verbis contextarum novam ideam propono : non ea quidem fiducia ut statim omnium suffragio comprobandam illam esse mihi pollicear; sed eo dumtaxat consilio, ut censuræ publicæ subjectam, aut emendem ipse amicorum adjutus monitis, aut penitus abjiciam, si minus placuisse animadvertero. Neque vero alia mente aggredi me par erat ad Meditationes ejuscemodi, quod mihi propositum est, elucubrandas, in singulos totius anni Ecclesiastici dies : et ad usus omnes pietatis, tum ejus quæ est Fide-

libus omnibus communis, tum ejus quæ est singulorum propria. Sane tam longi temporis opus istud est tantique laboris: ut nisi utriusque impendio præcipua quædam, et indubitata utilitas responderet, jactura non solum molesta, verum etiam religioni ducenda merito videretur.

Atque hic mihi præfandi finis esset, nisi prævertendum esse existimarem eorum animum, qui hac in re scrupulosiores, piaculum fortasse ducerent moveri hoc pacto, sacrorum Librorum verba ipsasque periodos, et in novum ordinem situmque digeri. Scilicet hunc illis scrupulum haud difficile exemptum iri confido; si attenderint quibus exemplis fretus, quibus inductus rationibus id consilii susceperim.

Enimvero quotusquisque est eorum Ecclesiæ Patrum qui legem Dei trac-

tandam exponendamque sumpserunt in quo non simile quiddam cernere liceat? Est inter Opera divi Augustini tractatus utilis, sub nomine Speculi, totus hinc inde collectis sanctæ Scripturæ sententiis contextus. Extat in Bibliotheca Patrum eximium aliud opusculum, cujus capita singula partim hac methodo composita sunt (1). Et quis nesciat quemadmodum Dionysius ille Cartusiensis, pietate juxta et eruditione notissimus, hortatore Cardinali de Cusa, Epistolas omnes sancti Pauli tanta arte tantoque judicio in unicam veluti compegerit: ut quidquid usquam ab Apostolo scriptum est, id totum in locos communes certis capitibus comprehensos redegerit.

Jam quo pietatis sensu quave admiratione legimus Divi Bernardi Opera? Sa-

(1) Homiliæ abbatis Antiochi mirifici sanctitate vitæ et celebris doctrina. *Baron. ad ann.* 614.

cras ille Paginas ita memoriæ infixerat, earumque stylum ita penitus imbiberat, nihil ut pene nisi divinam Scripturam loqueretur; sive germanum, ut sæpe, sensum secutus; sive in alium subinde verba deflectens, et ad omnem pii sermonis materiam mira facilitate accommodans.

Demum quid attinet commemorare preces, quæ sæpe adhibentur in celebratione divini Sacrificii, in officio Ecclesiastico, in quibusdam cærimoniis Religionis? Nonne sunt consertæ verbis sacrorum Bibliorum et locis e sua sede erutis, in alium digestis ordinem, in eamdem sententiam colligatis, repetitis, et tanquam in numerum intercalatis.

Equidem non sum nescius haberi ab sancto Hieronymo (1) pro Scripturarum sanctarum depravatoribus quosdam ho-

(1) Epist. ad Paulin.

mines, qui quidquid dixerint, hoc legem Dei putant : nec scire dignantur quid Prophetæ, quid apostoli senserint, sed ad sensum suum, incongrua aptant testimonia; quasi grande sit, et non vitiosissimum docendi genus depravare sententias, et ad voluntatem suam, Scripturam trahere repugnantem.

Hos Sanctus Doctor cum iis comparat, qui Homerocentonas, et Vergiliocentonas fingere amabant, hoc est, Poemata ex Homeri, et Virgilii carminibus conflata celebrandis Christianæ Religionis mysteriis : et quæ Homerum, ac Maronem, Christianos fuisse sine Christo, innuere viderentur.

Puerilia sunt hæc, addit Hieronymus, et circulatorum ludo similia docere quod ignores; imo, ut cum stomacho loquar, ne hoc quidem scire quod nescias.

Revera puerilis est ars ista Centonum, et circulatoria, quæ dum Auctorum dicta ad argumentum traducit prorsus alienum ab eorum sententia, quasi personatos illos exhibet : ut si quis historiam aut elogium profanum herois cujuspiam verbis sacræ Scripturæ consueret. Atque hoc unum est quod cum stomacho rejicit divus Hieronymus, non illum sacrarum Litterarum usum, quo sic dissolvitur verborum contextus, ut tamen nusquam abhorrens ab illarum dignitate sensus emergat.

Ego sane hunc scopulum effugisse videor : certe ut effugerem, mihi semper curæ fuit. Etsi enim sensum qui litteralis dicitur, non ubique sum sectatus : at mysticum, qui verbo Dei etiam inditus est, sive allegoricum, sive tropologicum, sive anagogicum assequi studui. Litterali tamen et spirituali, seu mystico,

tertium adjunxi non inusitatum Sanctis Patribus, divini autem verbi præconibus, librorumque asceticorum Scriptoribus familiarem. Is est videlicet quem vocant applicationis, seu accommodationis sensum : quo nihil neque de veritate, neque de auctoritate dignitateque sanctæ Scripturæ detrahitur : quandiu intra pietatis ac prudentiæ fines consistit.

Hoc porro qualecumque est opus, vestro judicio eruditi Lectores, præsertim vero Ecclesiæ censuræ subjicio, certus ab incœpto potius quam ab ejus voluntate, vel minimum discedere. Sin methodum istam adhibendæ Scripturæ sacræ probari ac prodesse intellexero : quidquid vitæ superest, huic exercitationi libentissime impendam, et super impendar ipse (1) : paratus haud multo post in lucem eas Meditationes edere,

(1) II. Cor. 12.

quas primum anni Ecclesiastici trimestre postulat.

* Hortor itaque venire vos cum benevolentia et attentiori studio lectionem facere, et veniam habere in illis, in quibus videmur, sequentes imaginem sapientiæ, deficere in verborum compositione (1). * Respicite quoniam non mihi soli laboravi, sed omnibus exquirentibus disciplinam (2) : * illis qui volunt animum intendere, et discere quemadmodum oporteat instituere mores, qui secundum legem Domini proposuerint vitam agere (3).

(1) Prolog. Eccli. — (2) Eccli. 33. — (3) Prolog. Eccli.

ADMONITIO.

Operæ pretium est indicare quem in his Meditationibus ordinem secutus sim. Is ea rum rerum seriem complectitur, quibus homo ad Deum quasi ducitur; et sequentia capita continet.

I. Principium hominis et finem : quo in utroque expenduntur rationes et causæ primariæ, quæ hominem Deo mancipare debent.

II. Præsidia divinitus homini, sive intra naturæ vim et limites, sive supra illam, data, quibus ad suum perducatur finem : in quibus et quid agendum sibi privatim ac proprie incumbat agnoscit, ac simul suos errores deprehendit.

III. Humani cordis improbitatem et labem, a suo fine, dum peccat, aberrantis.

IV. Extrema illa, quo peccata deducunt hominem, post vitæ errores; videlicet, mortem, judicium privatum, ac inferorum cruciatus, nisi pœnitentiæ ope redeat in viam.

V. Reditum hominis ad Deum, post agnita errorum suorum pericula et exitia.

VI. Restitutum et receptum in viam justitiæ hominem, Filii Dei gratia, hominis nostra causa facti.

VII. Eumdem Christi doctrinam et exempla constanter et religiose sectantem.

VIII. Fluxas opes contemnentem ac repudiantem.

IX. Abhorrentem a superbia et humilitati studentem.

X. Formam ac modum pœnitentiæ, ad exemplar Christi in olivarum horto cruciatus auspicantis.

XI. Voluptatum condemnationem, et christianam sensuum vexationem, ad aspectum Christi patientis.

XII. Perfectam Christiani cum suo rege Christo spinis coronato similitudinem.

XIII. Animæ sensa et affectus super morte Christi.

XIV. Christiani fiduciam et consolationem ob crucis potentiam et gloriam.

XV. Hominis felicitatem, per vitam Christi exemplis et doctrinæ congruentem, comparati ad sancte moriendum.

XVI. Christiani spem in Christi resurrectione tanquam exemplo et causa tum animæ ad gratiæ vitam resurgentis, tum corporis ad vitam immortalem excitandi.

XVII. Animæ statum caritatis vias ingressæ.

Hoc velut itinere deducitur homo ad Deum; hic ordo est verus meditationum, quemadmodum e sancti Ignatii germana methodo, in spiritualibus exercitiis tradi debent. Quod si quis vacuum a negotiis ad piam secessionem, tempus non habeat, is ordinem tamen meditationum hunc sequi potest, qui ad Christianam perfectionem dux certissimus est; aut quas lubebit, Meditationes deliget, prout sua cuique pietas maxime suadebit.

Qui vero per dies aliquot vacare uni Deo sibique statuerint, et hunc librum eam ob rem adhibere, varios Indices reperient, et seriem multiplicem Meditationum pluribus secessionibus idonearum : unde illam quam suo vitæ instituto ac moribus aptam judicabunt, eligent.

Additus etiam est Index rerum, in eorum gratiam qui sacra Biblia cognoscere diligentius cupiunt.

Si Meditationes istæ videbuntur aliquando prolixiores, id ex iis sufficiet decerpere quod satis erit ad piæ Meditationis implendum tempus. Sane verba sacrarum Litterarum ac sententiæ, tanta luce animum perfundunt,

sic attollunt ad Deum, sic voluntatem accendunt, ita mentem feriunt ac percellunt, ut pauculæ interdum ad luculentam meditationem sufficiant. Sed eo valebit hæc illarum amplitudo et copia, ut et sacræ Scripturæ pretium dignitasque facilius intelligatur, et eam legendi meditandique cupiditas accendatur, opibus uberrimis, quas in hoc ditissimo thesauro Spiritus sanctus abdidit, fusius explicatis.

MEDITATIONUM INDEX.

Tres meditationes. De principio rerum omnium et fine hominis. Pag. 1

Prima meditatio. De Deo rerum creatore. ibid.

II. medit. De gloria Creatoris. 9

III. medit. De cognitione hominis petita ab ejus principio et fine per varios hujus notitiæ gradus. 14

Duæ meditationes. De mediis naturalibus ad finem hominis. 18

Prima meditatio. De fine creaturarum. ibid.

II. medit. De usu creaturarum. 25

Quatuor meditationes. De mediis supernaturalibus ad finem hominis. 31

Prima meditatio. De vocatione ad fidem. ibid.

II. medit. De officiis hominis Christiani. 35

III. medit. De circumstantiis singularis beneficii quo vocati sumus ad fidem. 40

IV. medit. De memoria vocationis ad fidem pro variis usibus. 46

Tres meditationes. De sacerdotio. 52

Prima meditatio. De sacerdotii dignitate. ibid.

II. medit. De disciplinæ sacerdotalis legibus. 57

III. medit. De sacerdotii profanatione. 62

Tres meditationes. De religioso statu. 72

Prima meditatio. De felicitate religiosæ solitudinis. ibid.

II. medit. De legibus religiosæ solitudinis. 79

III. medit. De improbis religiosis. 88

Tres meditationes. De peccato. Pag. 97
Prima meditatio. De atrocitate peccati mortalis considerati ut est contemptus Dei. ibid.
II. medit. De causa et pœna tam horrendi contemptus. 103
III. medit. De multitudine peccatorum ad præparationem confessionis generalis. 117

Quatuor meditationes. De morte. 126
Prima meditatio. De prima mortis certitudine. ibid.
II. medit. De secunda mortis certitudine. 136
III. medit. Incertum est quando sis moriturus. 142
IV. medit. Mortem esse regulam judicii nostri in æstimandis rebus humanis. 149

Duæ meditationes. De judicio privato. 155
Prima meditatio. De natura hujus judicii. ibid.
II. medit. De præparatione ad judicium. 164

Quinque meditationes. De inferno. 174
Prima meditatio. De pœna damni. ibid.
II. medit. De dolore impiorum ex pœna damni. 178
III. medit. De pœna sensus. 186
IV. medit. Exponitur pœna sensus. 190
V. medit. De æternitate pœnarum inferni. 194

Duæ meditationes. Pro præparatione ad contritionem perfectam. 201
Prima meditatio. De justitia et misericordia Dei. ibid.
II. medit. De misericordia Dei erga peccatores pœnitentes. 209

Quatuor meditationes. De incarnatione et nativitate Christi. 222
Prima medit. Exercitium fidei circa hoc mysterium. ibid.
II. medit. Exercitium charitatis. 231
III. medit. Exercitium spei. 242
IV. medit. Pro exercitio spei. 248

Meditatio. De oppositione Jesu Christi et mundi. 253

Meditatio. De paupertate Jesu Christi, et contemptu divitiarum. Pag. 267

Tres meditationes. De humilitate. 288
Prima meditatio. De necessitate humilitatis. ibid.
II. medit. De praxi humilitatis. 294
III. medit. Humilis animæ canticum. 302

Tres meditationes. De pœnitentia, ad exemplar Christi in olivarum horto cruciatus auspicantis. 313
Prima meditatio. De pudore peccati. 314
II. medit. De tristitia peccati. 318
III. medit. De pœnis peccati et de sudore sanguineo Christi. 322

Quinque meditationes. De passione Jesu Christi. 329
Prima meditatio. Mundi voluptatem damnant dolores Christi. ibid.
II. medit. De regno Jesu Christi spinis coronati et crucifixi. 335
III. medit. De morte Jesu Christi. 342
IV. medit. De potestate Jesu crucifixi adversus hostes nostræ salutis. 362
V. medit. Canticum laudis ad gloriam crucis Jesu Christi. 368

Quinque meditationes. De bona morte. 375
Prima meditatio. Intuitus bonæ mortis. ibid.
II. medit. Exempla bonæ mortis. 381
III. medit. Desideria bonæ mortis. 385
IV. medit. Psalmus de bona morte. 390
V. medit. Praxis rite accipiendi viatici distincta per varias animæ occupationes. 396

Quatuor medit. De resurrectione Jesu Christi. 405
Prima meditatio. Exercitium fidei et spei per colloquium Jesu et hominis. ibid.

II. medit. De resurrectione hominis ad vitam spiritualem. Pag. 412

III. medit. Colloquium animæ fidelis cum Jesu de sacris ejus plagis. 420

IV. medit. De Christi resurrectione exercitium amoris per colloquium sanctæ Mariæ Magdalenæ cum aliis mulieribus, quibusdam angelis et ipso Jesu quem quæsivit ad sepulchrum ejus in horto. 426

TRES

MEDITATIONES

DE PRINCIPIO RERUM OMNIUM
ET FINE HOMINIS.

PRIMA MEDITATIO.

DEUS CREAVIT OMNIA.

PRIMUM PUNCTUM.

Deus creavit mundum. — Creavit Deus universa, — Initio temporum, et per seipsum, — Sine cujusquam ope, — Singula sine tempore, omnia autem spatio sex dierum. — Perfectissima. — Ex nihilo, — Et stabilia.

Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc (1). *Omnis domus fabricatur ab aliquo : qui autem omnia creavit, Deus est (2).

* In principio creavit cœlum et terram (3), *mare et fontes aquarum (4), * et omnia quæ in eis sunt (5). *Fecit terram in fortitudine sua, præparavit orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit cœlos (6).

(1) Isai. 40. — (2) Hebr. 3. — (3) Gen. 1. — (4) Apoc. 14. — (5) Exod. 20. — (6) Jer. 51.

Quis adjuvit spiritum Domini? * aut quis consiliarius ejus fuit, et ostendit illi (1)? * Cum quo iniit consilium (2)? * Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia (3). * Omnia per ipsum facta suntet sine ipso factum est nihil.

* Qui vivit in æternum, creavit omnia simul (4): * sex diebus (5): * et valde bona (6). * Omnia in mensura, et numero, et pondere (7). * Non est minuere, neque adjicere, nec est invenire magnalia Dei (8). * Cum consummaverit homo, tunc incipiet; et cum quieverit, aporiabitur.

* Et nihilo fecit illa Deus, et hominum genus (9): * quia ipse dixit: et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt (10). *Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi: præceptum posuit, et non præteribit.

* Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius adversus eum (11). * Domine Deus virtutum, quis similis tibi (12)? * Unus est altissimus creator omnipotens, et rex potens, et metuendus nimis (13).

Hic est Deus noster.

(1) Isai. 40. — (2) Rom. 11. — (3) Joan. 1. — (4) Eccle. 18. — (5) Exod. 20. — (6) Gen. 1. — (7) Sap. 11. — (8) Eccle. 18. — (9) Mach. 7. — (10) Ps. 148. — (11) Bar. 3. — (12) Ps. 88. — (13) Eccli. 1.

II. PUNCTUM.

Deus creavit primum hominem. — Deus creavit hominem similem sibi, — Cum multis dotibus naturæ et gratiæ, — Ut sibi serviat, — Libere, — Quippe remunerandus, aut puniendus a Deo, prout bene aut male egerit.

* Ait : Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram (1). * Formavit igitur Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem (2).

* Creavit hominem inexterminabilem (3) : * et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur, et custodiret illum (4). * Secundum se vestivit illum virtute (5). * Numerum dierum et tempus dedit illi, et dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram. * Posuit timorem illius super omnem carnem, et dominatus est bestiarum et volatilium. * Creavit ex ipso adjutorium simile sibi : consilium, et linguam, et oculos, et aures, et cor dedit illis excogitandi, et disciplina intellectus replevit illos. * Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et mala et bona ostendit illis.

* Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum, * ut nomen sanctificationis collaudent; et gloriari in

(1) Gen. 1. — (2) Gen. 2. — (3) Sap. 2. — (4) Gen. 2. — (5) Eccli. 17.

mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum ejus. * Addidit illis disciplinam, et legem vitæ hereditavit illos. * Testamentum æternum constituit cum illis, et justitiam et judicia sua ostendit illis : * et magnalia honoris ejus vidit oculus illorum, et honorem vocis audierunt aures illorum, et dixit illis : attendite ab omni iniquo.

* Ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui (1) : * adjecit mandata et præcepta sua. * Si volueris mandata servare, conservabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere. * Apposuit tibi aquam et ignem : ad quod volueris, porrige manum tuam.

* Ante hominum vita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei, dabitur illi : * quoniam multa sapientia Dei, et fortis in potentia, videns omnes sine intermissione. * Oculi Domini ad timentes eum, et ipse agnoscit omnem operam hominis. * Nemini mandavit impie agere, et nemini dedit spatium peccandi; * non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium et inutilium. * Non ergo regnet peccatum in mortali corpore (2). * Non dixeris : per Deum abest; quæ enim odit, ne feceris (3). Non dicas : ille me implanavit, non enim necessarii sunt ei homines impii. * Omne execramentum erroris odit Dominus, et non erit amabile timentibus eum.

(1) Eccle. 15. — (2) Rom. 6. — (3) Eccle. 15.

III. PUNCTUM.

Deus creavit omnes homines. — Ex uno homine nati sunt cæteri ad eumdem finem. — Unusquisque hoc fruitur bono — Beneficio creationis. — Conservationis. — Et potentiæ ad agendum. — Atque illud sæpe revocandum est in memoriam, ut magnificetur creator in omnibus.

* Fecit ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, et terminos habitationis eorum (1), * quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum : * in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus : sicut et quidam poetarum dixerunt : ipsius et genus sumus.

* Hæc dicit Dominus faciens et formans te ab utero auxiliator tuus (2) : * qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem (3): * qui finxit sigillatim corda eorum (4) : * et vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt (5), * portans omnia verbo virtutis suæ (6); * et omnia in ipso constant (7).

Hæc dicit. * Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi, si habes intelligentiam (8). * Sciebas tunc quod nasciturus esses? et numerum dierum tuorum noveras (9)? * Prius-

(1) Act. 17. — (2) Isai. 44. — (3) II. Mac. 7.— (4) Ps. 32. — (5) Rom. 4. — (6) Heb. 1. — (7) Col. 1. — (8) Job. 38. — (9) Jer. 1.

quam te formarem in utero, novi te; * in charitate perpetua dilexi te : ideo attraxi te miserans. * Vocavi te nomine tuo, meus es tu (1); * apprehendi manum tuam, et servavi te? * servus meus es tu, quia in te gloriabor. * Ecce vos estis ex nihilo, et opus vestrum ex eo quod non est, * quia sine me nihil potestis facere (2). * Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea (3). * Omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum (4). * Ego Dominus, hoc est nomen meum : gloriam meam alteri non dabo.

* Hæc dicit Dominus redemptor tuus, et formator tuus ex utero (5).

* Quid ergo dicemus (6)?

* Memento creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquent anni de quibus dicas : non mihi placent (7). * Antequam * revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.

Memento creatoris tui : * quia dominabitur tui, qui fecit te (8).

Memento creatoris tui. * Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis (9)? * Bono animo redde gloriam Deo (10); * et super his omnibus benedicito Do-

(1) Isai. 43. — (2) Joan. 15. — (3) Jer. 18. — (4) Isai. 43. — (5) Isai. 44. — (6) Rom. 6. — (7) Eccle. 12. — (8) Isai. 54. — (9) 1. Cor. 4. — (10) Eccle. 35.

minum qui fecit te, et inebriantem te ab omnibus bonis suis.

* In tota anima tua time Dominum : * in omni virtute tua dilige eum qui te fecit.

IV. PUNCTUM.

Deus creavit omnes homines propter semetipsum. — Esse hominem et esse pro Deo idem est. — Quod ut bene intelligat homo et præstet, Creatoris opem implorat.

* Quis finis meus (1)?

* Ego sum alpha et omega, principium et finis, dicit Dominus Deus qui est, et qui erat, et qui venturus est omnipotens (2). * Ego primus et ego novissimus (3).

* Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, et omnia vanitas (4). * Deum time, et mandata ejus observa : Hoc est enim omnis homo.

* Deus noster (5): * nosse te consummata justitia est : et scire justitiam, et virtutem tuam, radix est immortalitatis : Hoc est enim omnis homo.

* Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium (6)? * Servi facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem : finem vero vitam æternam : Hoc est enim omnis homo (7).

(1) Job. 6. — (2) Apoc. 1. — (3) Isai. 44.—(4) Eccle. 12. — (5) Sap. 15. — (6) Ps. 4. — (7) Rom. 6.

* Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei : Hoc est enim omnis homo (1).

Vani sunt : * ita ut sint inexcusabiles (2) : * quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. * Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. * Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium : et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula.

* Dicit Dominus : Non glorietur sapiens in sapientia sua : et non glorietur fortis in fortitudine sua : et non glorietur dives in divitiis suis (3) : * sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me : Hoc est enim omnis homo.

* Initium sapientiæ timor Domini (4). * Corona sapientiæ timor Domini : Hoc est enim omnis homo.

* Vir insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc (5).

* Quis sapiens, et custodiet hæc? et intelliget misericordias Domini (6).

* Heu! Heu! Heu! Domine Deus : ecce tu fecisti cœlum et terram in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extento : non erit tibi difficile

(1) Sap. 13. — (2) Rom. 1. — (3) Jer. 19 — (4) Eccle. 1. — (5) Ps. 91. — (6) Ps. 106.

omne verbum (1). * Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis (2).

* Emittes spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ (3).

II. MEDITATIO.

DE GLORIA CREATORIS.

I. PUNCTUM.

Admiratur homo creatorem suum. — Admiratur eum extra se. — Et in seipso.

* Ausculta hæc, sta, et considera mirabilia Dei (4). * Nomen ejus, admirabilis (5), * Qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia absque numero (6), * solus (7).

Considera. * Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum (8). * Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam. * Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. * In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. * In sole posuit tabernaculum suum,

(1) Jer. 32. — (2) Ps. 1. — (3) Ps. 103. — (4) Job. 37. — (5) Isai. 9. — (6) Job. 5. — (7) Ps. 71. — (8) Ps. 18.

* nec est qui se abscondat a calore ejus. * Præcipit soli, et non oritur (1). * Firmavit orbem terræ qui non commovebitur (2) : * respicit terram, et facit eam tremere (3). * Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus (4). * Operuit cœlos gloria ejus : et laudis ejus plena est terra (5). * Invisibilia ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus et divinitas (6). * Signatum est super nos lumen vultus tui Domine : dedisti lætitiam in corde meo (7). * Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo altissime (8) : * quia delectasti me Domine in factura tua : et in operibus manuum tuarum exultabo. * Quam magnificata sunt opera tua Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.

* Quid est homo, quia magnificas eum : aut quid apponis erga eum cor tuum (9)? * Imago et gloria Dei est (10). * Mirabilis facta est scientia tua ex me : non potero ad eam (11). * Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es : mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis. * Anima autem mea exultabit in Domino; et delectabitur super salutari suo (12). * Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tibi?

(1) Job. 9. (2) Ps. 92. — (3) Ps. 103. — (4) Ps. 92. — (5) Hab. 3. — (6) Rom. 1. — (7) Ps. 4. — (8) Ps. 91. — (9) Job.7. — (10) 1. Cor. 11. — (11) Ps. 138. — (12) Ps. 34.

II. PUNCTUM.

Excitat se cum creaturis ad benedicendum ei.

* Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, et honorem, et virtutem : quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt (1).

*Venite, adoremus, et procidamus, et ploremus ante Dominum qui fecit nos (2) : * quia ipse est Dominus Deus noster.

* Benedicite omnia opera Domini, Domino (3). * Benedicite Angeli Domini, Domino. * Benedicite filii hominum Domino. * Benedicite Sacerdotes Domini, Domino. * Benedicite servi Domini, Domino. * Benedicite sancti, et humiles corde Domino. * Benedicite omnes religiosi Domino. * Reges terræ, et omnes populi : principes, et omnes judices terræ. (4). * Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini : * quia exaltatum est nomen ejus solius. * Confessio ejus super cælum et terram.

* Benedic anima mea Domino, et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus (5). * Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

(1) Apoc. 4. — (2) Ps. 94. — (3) Dan. 3. — (4) Ps. 148. — (5) Ps. 102.

III. PUNCTUM.

Agnoscit ejus dominium in omnes creaturas. — Divini Dominii ratio. — Universitas. — Excellentia.

* Jubilate Deo omnis terra : servite Domino in lætitia : introite in conspectu ejus, in exultatione (1). * Scitote quoniam Dominus ipse est Deus : ipse fecit nos, et non ipsi nos. * Domini est terra et plenitudo ejus : orbis terrarum, et universi qui habitant in eo (2) * quia ipse super maria fundavit, eum, et super flumina præparavit eum : * ipsius est mare, et ipse fecit illud (3).

* Domine Deus virtutum, quis similis tibi (4)? Tu dominaris potestati maris; * tui sunt cæli, et tua est terra; * tu fecisti cælum et terram, et quidquid cæli ambitu continetur (5). * Tuus est dies, et tua est nox : tu fabricatus es auroram et solem (6). * Tu fecisti omnes terminos terræ : æstatem et ver tu plasmasti ea. * Omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua (7). * Tua est, Domine, magnificentia, et potentia, et gloria, atque victoria : et tibi laus, cuncta enim quæ in cælo sunt, et in terra, tua sunt. Tuum, Domine, regnum, et tu es super omnes principes (8); * tuæ divitiæ, et tua est gloria. Tu dominaris omnium; in manu tua virtus et potentia : in manu

(1) Ps. 99. — (2) Ps. 23. — (3) Ps. 97. — (4) Ps. 88. — (5) Esth. 13. — (6) Ps. 73. — (7) Ps. 103. — (8) 1. Par. 29.

tua magnitudo et imperium omnium. * Nunc igitur Deus noster confitemur tibi, et laudamus nomen tuum inclytum. * Tua sunt omnia : et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.

* Domine, Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati (1).

* Dominus omnium es :

* Dominus totius creaturæ (2) :

* Dominus Dominantium (3) :

* Dominus solus (4) :

* Sempiternus Dominus.

* Et dominatio tua in omni generatione, et generationem (5).

* Benedicite Domino omnia opera ejus in omni loco dominationis ejus. Benedic anima mea Domino (6).

(1) Esth. 13. — (2) Judith. 9. — (3) 1. Tim. 6. — (4) Isai. 37. — (5) Ps. 144. — (6) Ps. 102.

III. MEDITATIO.

DE COGNITIONE HOMINIS PETITA AB EJUS PRINCIPIO ET FINE PER VARIOS HUJUS NOTITIÆ GRADUS.

PRIMUS.

Confitetur homo, se de se nihil esse; — Se esse a Deo quidquid est; — Se esse Dei, et ad illi serviendum. — Se tamen illi non servisse. — Adeoque illi se tandem subjici debere.

* *Quis ego* (1)? loquar ad Dominum, cum sim pulvis et cinis (2)? * Substantia mea tanquam nihilum ante te (3); * nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit (4); * quia ex nihilo nati sumus (5).

SECUNDUS.

Quis ego? * Ignoras quæ sit via spiritus, et qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis Nescis opera Dei, qui fabricator est omnium (6).

* Sum quidem et ego mortalis homo, similis omnibus, et ex genere terreni illius qui prior factus est, et in ventre matris figuratus sum caro (7). * Gratiâ autem Dei sum id quod sum (8):

(1) 1. Par. 29. — (2) Gen. 18. — (3) Ps. 38. — (4) Gal. 6. — (5) Sap. 2. — (6) Eccle. 11. — (7) Sap. 7. — (8) 1. Cor. 15.

* Domine, tu formasti me. * Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu (1). Pelle et carnibus vestisti me, ossibns et nervis compegisti me (2). * Vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum.

TERTIUS.

Quis ego? * Domini ego sum (3). * O Domine quia ego servus tuus: ego servus tuus (4), * Domini sumus (5): * opus enim manuum ejus sunt universi (6).

* Reddite ergo quæ sunt Dei, Deo (7): * quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in sæcula (8):

* Hymnum cantemus Domino, hymnum novum cantemus Deo nostro (9). * Adonai Domine, magnus es tu et præclarus in virtute tua, et quem superare nemo potest. * Tibi serviat omnis creatura tua: quia dixisti, et facta sunt.

QUARTUS.

* *Quis ego?* * Imago et gloria Dei (10).

* Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus (11)? * Ut jumentum factus sum apud te (12): * et homo, cum in honore esset, non

(1) Ps. 138. — (2) Job. 10. — (3) Isai. 44. — (4) Ps. 115. — (5) Rom. 14. — (6) Job. 34. — (7) Math. 22. — (8) Rom. 11. — (9) Judith. 16. — (10) 1. Cor. 11. — (11) Thren. 4. — (12) Ps. 72.

intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (1).

* Hæccine reddis Domino stulte et insipiens? Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te (2)? * Deum qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui (3). * Deus tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita. * Miserere mei (4).

QUINTUS.

Quis ego? * Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus (5). * Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit in cælo, in terra, in mari et in ombibus abyssis (6). * Nonne Deo subjecta erit anima mea (7)?

* O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit : quid me fecisti sic (8)?

* Væ qui contradicit fictori suo (9).

* Subditus esto Domino, et ora eum (10).

CONCLUSIO MEDITATIONIS.

Per orationem ad Deum Creatorem. — Quod ut humiliter orat Deum.

* Deus patrum meorum, et Domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo (11) * et sapien-

(1) Ps. 48. — (2) Deut. 32. — (3) Ps. 68. — (4) Marc 10. — (5) Ps. 110. — (6) Ps. 134. — (7) Ps. 61. — (8) Rom. 9. — (9) Isai. 45. — (10) Ps. 36. — (11) Sap. 9.

tia tua constituisti hominem ut dominaretur creaturæ, quæ a te facta est, * noli me reprobare a pueris tuis, quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ, homo infirmus, et exigui temporis, et minor ad intellectum.

* Noli me reprobare (1).

Tuus sum ego, salvum me fac.

Tuus sum ego, salvum me fac. * Diligis enim omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum, quæ fecisti : nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti (2).

Tuus sum ego. * Conserva me Domine : quoniam speravi in te (3). * Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur (4).

Tuus sum ego. * Parce mihi, nihil enim sunt dies mei (5). * Parcis autem omnibus : quoniam tua sunt Domine, qui amas animas (6).

Tuus sum ego. * Domine Deus noster possederunt nos domini absque te, tantum in te recordemur nominis tui (7).

Tuus sum ego. * Deus meus es tu (8), * omnium Dominus es (9).

Tuus sum ego, salvum me fac. * Hoc uno tantum indigeo (10).

(1) Ps. 118. — (2) Sap. 11. — (3) Ps. 15. — (4) Sap. 11. — (5) Job. 7. — (6) Sap. 11. — (7) Isai. 26. — (8) Ps. 15. — (9) Sap. 12. — (10) Gen. 33.

DUÆ

MEDITATIONES

DE MEDIIS NATURALIBUS AD FINEM HOMINIS.

PRIMA MEDITATIO.

DE FINE CREATURARUM.

PRIMUM PUNCTUM.

Deus creavit omnia pro homine. — Hominis gloria ex dominio, quod illi dedit Deus in omnes creaturas. — Ejusdem felicitas ex continua benedictione Dei. — Quam dat omnibus. — Etiam animantibus propter hominem.

* Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra (1)! * Quid est homo, quod memor es ejus : aut filius hominis : quoniam visitas eum? * Minuisti eum paulo minus ab angelis: gloria et honore coronasti eum : * et constituisti eum super opera manuum tuarum· * Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi; * volucres

(1) Ps. 8.

cæli et pisces maris, qui perambulant semitas maris. * Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra !

* Cælum cæli Domino : terram autem dedit filiis hominum (1). * Et ait : Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus cæli, et universis animantibus. Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, et super omnes volucres cæli, cum universis quæ moventur super terram (2). * Cunctis diebus terræ, sementis et messis, frigus et æstus, æstas et hiems, nox et dies non requiescent. Dominamini.

* Domine Deus omnium Creator, terribilis et fortis, justus et misericors, qui solus bonus es Rex (3). * Quid est homo, quia magnificas eum (4)? * Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum ? Operibus manuum ejus benedixisti, et possessio ejus crevit in terra ?

* Exaltabo te Deus meus Rex (5) : * per singulos dies benedicam tibi. * Generatio et generatio laudabit opera tua, et potentiam tuam pronuntiabunt. * Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt. * Gloriam regni tui dicent : et potentiam tuam loquentur : * Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam : et gloriam magnificentiæ regni tui. * Regnum tuum, regnum omnium

(1) Ps. 113. — (2) Gen. 1. — (3) II. Mac 1. — (4) Job. 7. — (5) Ps. 144.

sæculorum : et dominatio tua in omni generatione et generationem. * Oculi omnium in te sperant, Domine : et tu das escam illorum in tempore opportuno. * Aperis tu manum tuam : et imples omne animal benedictione. * Omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore (1). * Dante te illis, cólligent : aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. * Benedicite filii hominum Domino (2).

* Præcinite Domino in confessione (3), * omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum : quoniam ipsi cura est de vobis (4).

Præcinite Domino in confessione (5), * cui cura est de omnibus; * non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam : quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus.

Præcinite Domino in confessione, * qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (6); * qui producit in montibus fœnum, et herbam servituti hominum (7); * Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum.

* Homines et jumenta salvabis Domine (8) : * quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus!

* Numquid de bobus cura est Deo (9)? * An

(1) Ps. 103. — (2) Dan. 3. — (3) Ps. 146. — (4) 1. Pet. 5. — (5) Sap. 12. — (6) Math. 5. — (7) Ps. 146. — (8) Ps. 35. — (9) 1. Cor. 9.

propter nos utique hoc dicit? nam propter nos scripta sunt.

* Dominus regit me, et nihil mihi deerit (1).

II. PUNCTUM.

Homo debet referre omnia ad gloriam Dei. — Prima ratio. Dei ordinatio qua se homo sanctificet et illi serviat. — Secunda ratio. Excellentia Creatoris supra creaturas. — Quibus perducendus est homo ad cognitionem Dei, — et quarum amor improbus illum eadem privat, — salva tamen Dei gloria, quam reparat per suam justitiam. — Tertia ratio, necessitas ut cuncta redeant ad suum principium.

* Et nunc, quid Dominus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, et in tota anima tua (2): * custodiasque mandata Domini tui. * Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis: non quasi insipientes (3), * sed ut sapientes: * nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. * Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra (4). * Omnia vestra sunt (5): * vos autem Christi. Christus autem Dei: * Universa propter semetipsum operatus est Dominus (6).

Universa propter semetipsum operatus est Dominus: * quorum si specie delectati: Deos puta-

(1) Ps. 22. — (2) Deut. 12. — (3) Ephes. 5. — (4) 1. Thes. 4. — (5) 1. Cor. 3. — (6) Prov. 16.

verunt : sciant quanto his Dominator eorum speciosior est; speciei enim generator hæc omnia constituit (1). * Aut si virtutem et opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis : quoniam qui hæc fecit, fortior est illis; * magnitudine enim speciei et creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri : * etenim cum in operibus illius conversentur, inquirunt, et persuasum habent : quoniam bona sunt quæ videntur. * Nec his debet ignosci; * si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum : quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt?

* Dixerunt : * Venite ergo, et fruamur bonis quæ sunt, et utamur creatura, tanquam in juventute celeriter (2) : * quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors. * Hæc cogitaverunt, et erraverunt : excæcavit enim illos malitia eorum; * et nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum; * effugerunt autem Dei laudem et benedictionem ejus.

* Et non effugient (3); * Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum (4).

* Oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur (5). * Ad locum unde exeunt flumina revertuntur. * Omnia de terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur. * Spiritus redeat ad Deum,

(1) Sap. 13. — (2) Sap. 2. — (3) 1. Thes. 5. — (4) Prov. 16. — (5) Eccle. 1.

qui dedit illum (1). * Honora Dominum de tua substantia; universa propter semetipsum operatus est. * Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula (2), * qui est principium creaturæ, * principium et finis (3).

Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.

III. PUNCTUM.

Ad gloriam Dei omnia indifferenter cooperantur homini. — Cuncta quæ fecit Deus sunt bona homini. — Etiam quæ sunt invicem contraria; — Non impio, sed justo, qui cuncta refert ad Deum.

Universa propter semetipsum operatus est Dominus (4) : * nec dicere ei quisquam potest : quare ita facis ? * Aut quis potest ei dicere : operatus es iniquitatem (5)? * quia omnis creatura Dei bona est; et nihil rejiciendum (6).

Universa propter semetipsum operatus est Dominus, * universa, bona valde (7). * Omnia opera Domini bona, et omne opus hora sua subministrabit. * Non est dicere : hoc illo nequius est : omnia enim in tempore suo comprobabuntur. * Et nunc in omni corde et ore collaudate, et benedicite nomen Domini.

* Benedicite omnia opera Domini Domino (8). * Benedicite omnis imber et ros Domino. * Bene-

(1) Prov. 3. — (2) Rom. 11. — (3) Apoc. 3. — (4) Eccle. 8. — (5) Job. 36. — (6) 1. Tim. 4. — (7) Eccle. 39. — (8) Dan. 3.

dicite frigus et æstus Domino. * Benedicite rores et pruina Domino. * Benedicite noctes et dies Domino. * Benedicite lux et tenebræ Domino. * Benedicite fulgura et nubes Domino. * Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum : quæ faciunt verbum ejus (1). Montes et omnes colles : ligna fructifera et omnes cedri : * serpentes et volucres pennatæ : * Reges terræ et omnes populi, * laudent nomen Domini.

* Hæc omnia sanctis in bona; sic et impiis et peccatoribus in mala convertentur (2).

* In die bona fruere bonis, et malam diem præcave; sicut enim hanc, et illam fecit Deus : ut non inveniat homo contra eum justas querimonias (3). * Scimus autem quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum (4).

* Qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali (5). * Dicite justo, quoniam bene (6).

(1) Ps. 148. — (2) Eccle. 39. — (3) Eccle. 7 — (4) Rom. 8. — (5) Eccle. 8. — (6) Isai. 3.

II. MEDITATIO.

DE USU CREATURARUM.

I. PUNCTUM.

De usu præterito. — Agnoscit homo miseriam suam in affectibus malis, quibus adhæsit creaturis, sectando, — Sive bona animi, — Sive bona corporis, et quæ vulgo fortunæ nuncupantur: — Eademque damnat, detestatur, et rejicit in posterum.

* Vanitas vanitatum et omnia vanitas (1). * Quid habet amplius homo de universo labore suo quo laborat sub sole? * Vidi cuncta quæ fiunt sub sole: et ecce universa vanitas, et afflictio spiritus.

* Proposui in animo meo quærere et investigare sapienter de omnibus. * Cuncta tentavi in sapientia; dixi: Sapiens efficiar: et ipsa longius recessit a me, * multo magis quam erat. * Et intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem, eorum quæ fiunt sub sole: et quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat. Etiamsi dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire. * Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum: * eo quod in

(1) Eccle. 1.

multa sapientia, multa sit indignatio: et qui addit scientiam, addit et laborem. * Et dixi in corde meo: Si unus et stulti et meus occasus erit: quid mihi prodest, quod majorem sapientiæ dedi operam?

* Dixi ergo in corde meo: Vadam, et affluam, deliciis et fruar bonis. Et vidi quod hoc quoque esset vanitas. * Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, et plantavi vineas: * feci hortos et pomaria, et consevi ea cuncti generis arboribus; * et extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem silvam lignorum germinantium; possedi servos et ancillas, multamque familiam habui; * coacervavi mihi argentum et aurum et substantias regum ac provinciarum; feci mihi cantores et cantatrices, delicias filiorum hominum, scyphos et urceos in ministerio ad vina fundenda. * Omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis: nec prohibui cor meum, quin omni voluptate fruceretur. Et vidi quod hoc quoque esset vanitas. * Risum reputavi errorem: et gaudio dixi: Quid frustra deciperis?

* Idcirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala universa esse sub sole, et cuncta vanitatem et afflictionem spiritus. * Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi; * unde cessavi, renuntiavitque cor meum ultra laborare.

* Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis menda-

cium (1) ? * quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis ? nam finis illorum mors est (2).

II. PUNCTUM.

De usu præsenti creaturarum. — In illis omnibus quærit Deum homo, et illi adhæret. — Sine illo nihil prodesse, statuit tanquam certum ; — Cor suum et omnes actiones dirigit ad ejus gloriam ; — Utitur mundo tanquam si non utatur ; — Quod pure sufficiat ad vitam, hoc manet conventus.

* Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt (3). * Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges (4).

* Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me. * Quid enim mihi est in cælo ? et a te quid volui super terram ? * Defecit caro mea et cor meum. Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. * Quia ecce qui elongant a te, peribunt : perdidisti omnes qui fornicantur abs te. * Mihi autem adhærere Deo bonum est : ponere in Domino Deo spem meam.

* Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur ? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua (5) ? * Nonne anima plus est quam esca ?

(1) Ps. 4. — (1) Rom. 6. — (2) Ps. 143. — (3) Ps. 72. — (4) Matth. 16.

* Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt (1) : * et subditus fiat omnis mundus Deo (2). * Sive ergo manducatis sive bibitis, sive aliud quid facitis : omnia in gloriam Dei facite (3). * Omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo, et patri per ipsum (4).

* Et mundus transit et concupiscentia ejus (5). * Tempus breve est : reliquum est, ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint (6) : * et qui flent, tanquam non flentes : et qui gaudent, tanquam non gaudentes : et qui emunt, tanquam non possidentes : * et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur : præterit enim figura hujus mundi.

* Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia (7) : * nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium, quod nec auferre quid possumus. * Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus. * Multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene (8). * Quærite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis (9).

* Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos (10).

(1) Joan. 2. — (2) Rom. 3. — (3) 1. Cor. 10. — (4) Col. 3. — (5) 1. Joan. 2. — (6) 1. Cor. 7. — (7) 1. Tim. 6. — (8) Tob. 4. — (9) Matth. 6. — (10) Gal. 6.

III. PUNCTUM.

De futuro usu creaturarum. — Seipsum tradit homo arbitrio divinæ voluntatis, — Et statuit cor suum in perfecta indifferentia ad omnes eventus; — Unde se firmat in voluntate adhærendi Deo suo fini.

* Ego autem in te speravi, Domine. Dixi: Deus meus es tu (1); * in manibus tuis sortes meæ.

* Dominus est : quod bonum est in oculis suis, faciat (2).

* O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic (3)? * An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? * Numquid sicut figulus iste, non potero vobis facere, domus Israel, ait Dominus? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea (4).

* Væ qui contradicit fictori suo (5).

* Paratum cor meum, Deus; paratum cor meum (6). * Scio et humiliari, scio et abundare; et satiari, et esurire; et abundare, et penuriam pati (7). Omnia possum in eo qui me confortat, * per arma justitiæ; a dextris, et a sinistris (8); * per gloriam et ignobilitatem; per infamiam, et bonam famam.

(1) Ps. 30. — (2) I. Reg. 3. — (3) Rom. 9. — (4) Jer. 18. — (5) Isai. 45. — (6) Ps. 107. — (7) Philip. 4. — (8) II. Cor. 6.

* Quis ergo nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculam? an persecutio? an gladius (1)? * certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, * neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare a charitate Dei.

(1) Rom. 8.

QUATUOR

MEDITATIONES

DE MEDIIS SUPERNATURALIBUS
AD FINEM HOMINIS.

PRIMA MEDITATIO.

DE VOCATIONE AD FIDEM.

I. PUNCTUM.

Hujus vocationis necessitas ad salutem. — Immutabilis necessitas fidei et baptismi.

* Sine fide impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit (1). * Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur (2). * Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei (3). * Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. * Gratia Dei, vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro (4). * Et non est in alio aliquo salus; nec

(1) Hebr. 11. — (2) Marc. 16. — (3) Joan. 3. — (4) Rom. 6.

enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri (1).

II. PUNCTUM.

Tantæ vocationis excellentia. — Hujus vocationis excellentia petitur ex statu hominis, qui sit per baptismum — nova creatura, — Filius Dei, — Homo spiritualis et cœlestis, — Et alter Christus.

* Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis (2), * in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et et immarcessibilem.

* Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus (3); * in Christo nova creatura (4); * ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus (5).

* Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus (6): * qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. * Ut Filii Dei nominemur et simus (7): * omnia nobis divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam et pietatem, donata sunt, per cognitio-

(1) Act. 4. — (2) I. Pet. 1. — (3) Jac. 1. — (4) II. Cor. 5. — (5) Ephes. 2. — (6) Joan. 1. — (7) Joan. 3.

nem ejus, qui vocavit nos propria gloria et virtute (1) : * per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit : ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ : fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.

* Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est (2). * Primus homo de terra, terrenus : secundus homo de cæo, cælestis (3). * Qualis terrenus, tales et terreni : et qualis cælestis, tales et cælestes. * Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cælestis.

* Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis (4). * An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus (5)? * consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem : ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.

* Christo confixus sum cruci (6). * Vivo autem, jam non ego : vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.

(1) II. Pet. 1. — (2) Joan. 3. — (3) I. Cor. 15. — (4) Gal. 3. — (5) Rom. 6. — (6) Gal. 2.

III. PUNCTUM.

Dona quæ complectitur hæc sancta vocatio. — Nihil deest Christiano; in ejus enim vocatione reperiuntur. — Ortus in Ecclesia, — Baptismus et pia educatio, — Post peccatum pœnitentia, — Protectio Dei per gratiam in tentationibus et tempore mortis — Consolatio et meritis Crucis Christi, — Sacramentum Eucharistiæ, — Pariterque confirmationis et extremæ unctionis, — Gaudium in trbiulationibus, — Secura fiducia in divinam misericordiam, pro omnibus ejus gratiis habendis. — Spes vitæ æternæ.

* Christus suscepit vos in honorem Dei (1). * In omnibus divites facti estis in illo (2), * ita ut nihil vobis desit in ulla gratia. * Sicut pastor gregem suum pascet (3).

* Sit nomen Domini benedictum (4).

* Dominus regit me, et nihil mihi deerit (5).

* In loco pascuæ ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me :

* Animam meam convertit : deduxit me super semitas justitiæ propter nomen suum.

* Nam et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala : quoniam tu mecum es.

Virgà tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.

* Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos, qui tribulant me.

(1) Rom. 15. — (2) 1. Cor. 1. — (3) Isai. 40. — (4) Ps. 112. — (5) Ps. 22.

Impinguasti in oleo caput meum :

Et calix meus inebrians quam præclarus est !

* Et misericordia tua subsequetur me, omnibus diebus vitæ meæ :

Et ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.

II. MEDITATIO.

DE OFFICIIS HOMINIS CHRISTIANI.

I. OFFICIUM.

Christianæ vocationis digna æstimatio. — Hujus æstimationis regula est, amor Dei tantus, quantus erga nos potuit esse.

* Ecclesiæ Dei, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi in omni loco (1). Gratia vobis et pax a Deo patre nostro, et Domino Jesu Christo.

* Vos genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis : ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum (2).

* Videte, qualem charitatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur et simus (3).

(1) 1. Cor. 1. — (2) 1. Pet. 2. — (3) 1. Joan. 3.

Videte, qualem charitatem. * Si filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi (1).

Videte, qualem charitatem. * Quoniam quod est honoris, gloriæ, et virtutis Dei, et qui est ejus spiritus, super vos requiescit (2).

Videte, qualem charitatem. * Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis (3).

II. OFFICIUM.

Gratiarum actio. — Qui fruuntur beneficio redemptionis Christi, gratos ei debent se præbere. — Gratiarum actio.

* Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus (4).

* Dicant qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici, et de regionibus congregavit eos. * A solis ortu et occasu; ab aquilone et mari.

* Confiteantur Domino misericordiæ ejus; et mirabilia ejus filiis hominum : * quia satiavit animam inanem; et animum esurientem satiavit bonis.

* Eduxit eos de tenebris, et umbra mortis : et vincula eorum disrupit. * Confiteantur Domino

(1) Rom. 8. — (2) 1. Pet. 4. — (3) Ps. 147. — (4) Ps. 106.

misericordiæ ejus : et mirabilia ejus filiis hominum.

* Misit verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum. * Confiteantur Domino misericordiæ ejus; et mirabilia ejus filiis hominum.

Dicant qui redempti sunt a Domino (1), * Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione : * et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes : et regnabimus super terram.

Regnabimus, * gratias agentes Deo patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine (2); qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ.

III. OFFICUIM.

Servitus qua subjicimur Christo. — Christianus non est suus, sed Christi, ut ejus servus, — Titulo emptionis, — Cujus pretium, ejus sanguis.

* Omnia vestra sunt (3) : vos autem Christi (4) : * ut servi Christi: * et non estis vestri (5); * empti enim estis pretio magno; glorificate et portate Deum in corpore vestro; * qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini : similiter qui liber vocatus est, servus est Christi.

(1) Apoc. 5. — (2) Col. 1. — (3) 1. Cor. 3.— (4) Ephes. 6. — (5) 1. Cor. 6.

* Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum (1) : * scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis : * sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi.

* Peccata nostra ipse pertulit super lignum (2): * delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio affigens illud cruci : * et expolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.

IV. OFFICIUM.

Vita Christo debita. — Hujus officii ratio, — Et praxis.

* Nemo nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur (3). * Sive enim vivimus, Domino vivimus : sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus; * in hoc enim Christus mortuus est et resurrexit : ut et mortuorum et vivorum dominetur.

* Domino Christo servite (4), * qui dedit semetipsum pro nobis : ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

* Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis ; omnia in gloriam Dei facite (5) :

(1) 1. Pet. 1. — (2) Col. 2. — (3) Rom. 14. — (4) Col. 3. Tit. 2. — (5) 1. Cor. 10.

* omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et patri per ipsum (1).

V. OFFICIUM.

Vita Jesu Christo digna. — Duo principia hujus vitæ, — Quæ est insociabilis peccato et mundo.

* Digne Evangelio Christi conversamini (2).

* In ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu (3), * deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris. * Renovamini autem spiritu mentis vestræ, * et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.

* Existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro (4). * Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.

* Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo (5).

* Christus vobis nihil proderit (6) : evacuati estis a Christo a gratia excidistis.

* Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras (7). Quæ

(1) Col. 3. — (2) Philip. 1. — (3) Ephes. 4.— (4) Rom. 6. — (5) 1. Joan. 2. — (6) Gal. 5. — (7) II. Cor. 6.

autem conventio Christi ad Belial ? Aut quæ pars fideli cum infideli ? * Qui autem consensus templo Dei cum idolis ? Vos enim estis templum Dei vivi. * Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum (1), non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum. * Nolite ergo effici participes eorum (2).

TERTIA MEDITATIO.

DE CIRCUMSTANTIIS SINGULARIS BENEFICII QUO VOCATI SUMUS AD FIDEM.

I. CIRCUMSTANTIA.

Hoc beneficium est a solo Deo. — A parentibus peccatum habemus, — Fidem autem a Deo.

* In fide vivo Filii Dei. (3) ?

* Et unde hoc mihi (4) ?

* Non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri (5) ; ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea (6).

* Gratia Dei sum id quod sum (7). Omne datum optimum, et omne donum perfectum desur-

(1) 1. Cor. 10. — (2) Ephes. 5. — (3) Gar. 2. — (4) Luc 1. — (5) Joan. 1. — (6) Ps. 50. — (1) 1. Cor. 15.

sum est descendens a patre luminum, apud quem non est transmutatio; neque vicissitudinis obumbratio (1). * Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus.

II. CIRCUMSTANTIA.

Nec fuit hoc beneficium, nec est, nec erit pro infinitis propemodum hominibus extra christianam societatem. Sola Dei gratia discernit hac in re homines. — Infelicitas populorum qui privantur lumine fidei? nec ad hoc ejecti sunt à Deo: — Electi vero populi christiani felicitas, — Qua fruor potius quam multi alii.

In fide vivo Filii Dei: et unde hoc mihi (2),* ut liberer ab infidelibus (3), * de gente non sancta (4), * segregatus in Evangelium Dei (5)? * Quis te discernit? Gratia Dei sum id quod sum (6)? * Placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam. * Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis (7).

* Beata gens cujus est Dominus Deus ejus; populus quem elegit in hereditatem (8).

* Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis (9). Radix tua, et generatio tua de terra Chanaan: pater tuus

(1) Jac. 1. — (2) Rom. 15. — (3) Ps. 42. — (4) Rom. 1. — (5) 1. Cor. 4. — (6) Gal. 1. — (7) Ps. 147. — (8) Ps. 32. — (9) Isai. 1.

Amorrhæus et mater tua Cethæa (1); * et quando nata es in die ortus tui, aqua non es lota in salutem.

* Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero (2): * perierunt, quasi qui non fuerint; et nati sunt, quasi non nati (3). * Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis (4), * dicentes: * Justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis.

* Non hos elegit Dominus neque viam disciplinæ invenerunt; propterea perierunt (5).

Beata gens cujus est Dominus Deus ejus; populus quem elegit in hereditatem. (6) * Populus sanctus es Domino Deo tuo, et te elegit, ut sis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus, quæ sunt super terram.

Non hos elegit Dominus; * elegit me potius. Judicia sua non manifestavit eis (7). * Mysterium, quod absconditum fuit a sæculis, et generationibus, nunc manifestatum est sanctis ejus (8), * quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus.

Non hos elegit Dominus: elegit me potius.

* Domini est assumptio nostra, et sancti Israël Regis nostri (9).

(1) Ezech. 16. — (2) Ps. 57. — (3) Eccli. 44. — (4) Sap 5. — (5) Bar. 3. — (6) Deut. 14. — (7) II. Reg. 6. — (8) Col. 1. — (9) Ps. 88.

III. CIRCUMSTANTIA.

Nec est hoc beneficium, nec fuit, nec erit pro multis aliis hominibus, etiam in christiana societate. — Necessitas baptismi, — Cujus gratia alii privantur etiam inter Christianos : — Alii vero fruuntur, — Ex speciali Dei misericordia.

In fide vivo Filii Dei : et unde hoc mihi ?

* Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto ; non potest introire in regnum Dei (1). * Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ, quia non est aquâ lustrationis aspersus (2).

* Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii (3) ? * non subsisterem, sicut qui concepti non viderunt lucem (4), * lucem miserationum.

* Dei donum est. Non hos elegit Dominus : elegit me potius (5).

* Hæc dicit Dominus, redemptor tuus et formator tuus ex utero (6) : servus meus es tu, elegi te ; et non abjeci te. * Ego Deus tuus : confortavi te, et auxiliatus sum tibi. * Apprehendi manum tuam, et servavi te. * Ingressus sum pactum tecum (7), * et lavi te aqua ; et unxi te oleo. * Servus meus es tu, quia in te gloriabor (8).

(1) Joan. 3. — (2) Num. 19. — (3) Job. 3. — (4) Eccle. 36. — (5) Eccle. 3. — (6) Isai. 44. — (7) Ezech. 16. — (8) Isai. 49.

IV. CIRCUMSTANTIA.

Nihil ex parte hominis movit Deum ad hanc gratiam aut largiendam, aut non largiendam.

In fide vivo Filii Dei : et unde hoc mihi ? Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis; * sed quibus datum est (1) : * cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali : (ut secundum electionem propositum Dei maneret) (2). * Non ex operibus, sed ex vocante : * non ex operibus : ut ne quis glorietur (3) : * non ex operibus justitiæ, quæ fecimus ; sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti (4), * quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum : * ut justificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitæ æternæ.

CONCLUSIO MEDITATIONIS.

Actio gratiarum ad Deum authorem beneficii tam singularis.

* Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus, in Christo (5). Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem,

(1) Matth. 19. — (2) Rom. 9. — (3) Ephes. 2. — (4) Tit. 3. — (5) Ephes. 1.

ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus, in charitate.

Benedictus Deus : * qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, * in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo.

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo : * ut ostenderet abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu ; * gratia enim estis salvati per fidem : et hoc non ex vobis ; Dei enim donum est.

* Et hoc ipsum erat sapientiæ scire cujus esset hoc donum (1), * fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima. * Gratias Deo super inenarrabili dono ejus (2) : * et particula boni doni non te prætereat (3).

(1) Sap. 8. — (2) II. Cor. 11. — (3) Eccle. 14.

IV. MEDITATIO.

DE MEMORIA VOCATIONIS AD FIDEM.

Pro variis usibus.

PRIMUS USUS.

Doctrinam christianam retine.

Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi (1)?

* Permane in iis quæ didicisti, et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris (2), * et quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu. * Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiæ (3), * quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.

*Omnis qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic et patrem et filium habet. (4). * Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec AVE ei dixeritis: * qui enim dicit illi AVE, communicat operibus ejus malignis.

(1) Ps. 115. — (2) II. Tim. 2. — (3) I. Tim. 6. — (4) II. Joan. 1.

SECUNDUS USUS.

Vitæ innocentiam conserva.

Quid retribuam pro omnibus quæ retribuit mihi? * Custodi innocentiam (1) : * bonum depositum custodi per Spiritum sanctum qui habitat in nobis (2) : * optimum est enim gratia stabilire cor (3). * Vade ergo et comede in lætitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum : quia Deo placent opera tua; * omni tempore sint vestimenta tua candida. * Beatus, qui vigilat, et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus (4).

Custodi innocentiam; * sta in testamento tuo, et in illo colloquere, et in opere mandatorum tuorum veterasce (5). * Ne manseris in operibus peccatorum. Confide autem in Deo, et mane in loco tuo.

* Cognosce justitias et judicia Dei, et sta in sorte propositionis et orationis altissimi Dei. * In partes vade sæculi sancti, cum vivis et dantibus confessionem Deo.

(1) Ps. 36. II. Tim. 3. — (2) Hebr. 13. — (3) Eccle. 9. — (4) Apoc. 16. — (5) Eccli. 11.

TERTIUS USUS.

Post peccatum pœnitentiam age.

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?

* Peccasti? non adjicias iterum : sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur (1).

*Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus (2) : * quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis (3). * Hora est jam nos de somno surgere; nunc enim proprior est nostra salus, quam cum credidimus (4). * Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. * Sicut in die honeste ambulemus, non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione : * sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis; * quoniam vindex est Dominus de his omnibus (5); * non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.

* Memor esto itaque unde excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac (6).

(1) Eccli. 21. — (2) Ephes. 5. — (3) Gal. 3. — (4) Rom. 13. — (5) 1. Thess. 4. — (6) Apoc. 2.

QUARTUS USUS.

Promissâ baptismi adimple.

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?

* Cave ne quando obliviscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum (1). * Facies sicut promisisti Domini Deo tuo. * Celebra festivitates tuas, et redde vota tua : quia non adjiciet ultra ut pertranseat in te Belial : universus interiit (2).

QUINTUS USUS.

Eadem renova promissa per singulos annos. — Formula hujus renovationis.

* Ecce solennitas Domini est anniversaria (3).

* Dominum elegisti hodie ut sit tibi Deus, et ambules in viis ejus, et custodias ceremonias illius, et mandata atque judicia, et obedias ejus imperio (4) : * et Dominus elegit te hodie, ut sis ei.

* Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi (5) ? * Vota mea Domino reddam, coram omni populo ejus.

* O Domine, quia ego servus tuus : ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ. * Quoniam tu es qui ex-

(1) Deut. 4. — (2) Nahum 1. — (3) Judic. 21. — (4) Deut. 26. — (5) Ps. 115.

traxisti me de ventre : spes mea ab uberibus matris meæ (1). * In te projectus sum ex utero : de ventre matris meæ Deus meus es tu. * Apud te laus mea in Ecclesia magna : vota mea reddam in conspectu timentium eum, * et anima mea illi vivet.

O Domine ego servus tuus et filius ancillæ tuæ * Christianus (2), * Discipulus Jesu (3), * Miles Christi (4), * Servus Jesu Christi (5), * Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ (6).

* Dominum Deum meum adoro (7).

* Credidi.

* Speravi.

* Dilexi.

* In tribus placitum est spiritui meo (8).

Juravi et statui * servire Deo vivo et vero (9), et expectare filium ejus de cœlis (quem suscitavit ex mortuis) Jesum, qui eripuit nos ab ira ventura. * Testor coram Deo, et Christo Jesu et electis Angelis (10).

* Vade satana (11), * spiritus immunde (12). * Tu nosti servitutem qua servivi tibi (13) : * Dimitte me, ut revertar in patriam et ad terram meam, * ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem (14). Dimitte me : * imperet tibi Dominus, et anima mea illi vi-

(1) Ps. 21. — (2) 1. Pet. 4. — (3) Mat. 27. — (4) II. Tim. 2. — (5) Rom. 1. — (6) Ps. 118. — (7) Dan. 14. — (8) Eccle. 25. — (9) 1. Thes. 1. — (10) Tim. 5. — (11) Matth. 4. — (12) Marc. 5. — (13) Gen. 30. — (14) Heb. 12.

vet (1). Vade satana * in nomine Domini (2), * in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (3). * Quid mihi et tibi (4)? Ego sum Christi : et anima mea illi vivet (5).

* Ego non sum de mundo (6); * renuntiavit cor meum (7). * Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo (8). * Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ (9). * Hæc arbitratus sum detrimenta (10) : * verumtamen existimo propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, * et inveniar in illo. * Testis mihi est Deus, cui servio in spiritu meo, in Evangelio filii ejus (11).

* Tu autem Domine, ne longe facias miserationes tuas a me (12). Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis; * custodi animam meam quoniam sanctus sum; salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te (13). In te Domine speravi non confundar in æternum (14); * scio enim cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare (15).

(1) Judæ. 9. — (2) III. Reg. 22. — (3) Mat. 28. — (4) Marc 5. — (5) I. Cor. 1. — (6) Joan. 17. — (7) Eccle. 2. — (8) Galat. 6. — (9) I. Joan. 2. — (10) Philip. 3. — (11) Rom. 1. — (12) Ps. 39. — (13) Ps. 66. — (14) Ps. 85. — (15) Ps. 30.

TRES

MEDITATIONES

DE SACERDOTIO.

PRIMA MEDITATIO.

DE SACERDOTII DIGNITATE.

I. PUNCTUM.

Christus instituit Sacerdotes. — In hac sacerdotii institutione, dignitas ejus petitur ex vocatione sublimi, — Ex potestate docendi et baptizandi, — Tum remittendi retinendique peccata, — Ac præsertim sacrificandi corpus et sanguinem Christi, — Et ex ipsius divina persona, quam sustinent Sacerdotes in omnibus his functionibus.

* Vos estis sal terræ (1) : * vos estis lux mundi (2), * fratres mei (3) * amici mei (4), piscatores hominum (5), * genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis : ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. * Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes (6). * Sicut dilexit me pater,

(1) Matth. 5. — (2) Luc 8. — (3) Joan. 15. — (4) Matth. 4. — (5) 1. Pet. 2. — (6) Ps. 81.

et ego dilexi vos (1) : * vos dixi amicos; quia omnia quæcumque audivi a patre meo, nota feci vobis.* Vobis datum est nosse mysterium regni Dei (2). * Non vos me elegistis : sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis; et fructus vester maneat (3). Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron (4).

* Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (5). * Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. * Euntes in mundum universum, predicate evangelium omni creaturæ (6). * Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur.

* Sicut misit me Pater, et ego mitto vos (7). * Accipite Spiritum sanctum. * Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt.

* Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. * Venite, comedite panem meum (8). * Accipite, et manducate; hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem (9). * Bibite vinum quod miscui vobis (10) : * bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum (11). Hoc facite quotiescumque bibetis in

(1) Joan. 15. — (2) Luc 8. — (3) Joan 15. — (4) Hebr. 5. — (5) Matth. 28. — (6) Marc 16. — (7) Joan. 20. — (8) Prov. 9. — (9) 1. Cor. 11. — (10) Prov. 60. — (11) Matth. 26.

meam commemorationem (1); quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.

* Luceat lux vestra coram hominibus (2). * Estote loco meo. * (3) Dii estis et filii Excelsi omnes. (4). * Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis (5). * Dicite illis : appropinquavit in vos regnum Dei (6). Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos (7).

* Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi (8). * Qui recipit vos, me recipit : et qui me recipit, recipit eum qui me misit. * Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me (9).

II. PUNCTUM.

Sacerdos expendit humiliter tantam in se dignitatem. — Sacerdos invitat alios Sacerdotes et populum ad benedicendum Deo pro tanto beneficio, — quo præ Angelis afficitur homo : — unde seipsum et suspicit, — et humiliat.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino : laudate et superexaltate eum in secula (10). * Qui

(1) I. Cor. 11. — (2) Matth. 5. — (3) I. Mac. 16. — (4) Ps. 81. — (5) Matth. 10. — (6) Luc 10. — (7) II. Cor. 5. — (8) Matth. 28. — (9) Luc 10. — (10) Dan. 3.

dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo (1): * et fecit nos regnum et Sacerdotes Deo et Patri suo : ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum : Amen. * Benedicite servi Domini Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula (2), * qui dedit potestatem talem hominibus (3); cui enim dixit aliquando Angelorum (4)? * Tibi dabo claves regni cælorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis (5). * Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui capient hereditatem salutis (6); * Habemus altare, de quo edere non habent potestatem.

* Vide ministerium quod accepisti a Domino (7).

* Tu es Sacerdos (8).

* Sacerdos Dei altissimi (9).

* Ex genere christorum sacerdotum (10).

* Angelus Domini exercituum (11).

* Homo Dei (12).

* Protector salvationum Christi (13).

* Assimilatus autem filio Dei (14), * et ejus quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicator (15).

* Sic pulchra ante ipsum non fuere talia usque ad orignem (16).

(1) Apoc. 1. — (2) Dan. 3. — (3) Matth. 9. — (4) Hebr. 1. — (5) Matth. 16. — (6) Heb. 1. — (7) Col. 4. — (8) Ps. 109. — (9) Gen. 14. — (10) II. Mac. 1. — (11) Mal. 2. — (12) I. Tim. 6. — (13) Ps. 27. — (14) Heb. 7. — (15) I. Pet. 5. — (16) Eccle. 45.

Vide ministerium, quod accepisti a Domino.

* A, a, a, Domine Deus : ecce nescio loqui, quia puer ego sum (1). * vir pollutus labiis (2), * nihil quidem habens dignum sacerdotio (3). * Quis ego sum, aut quæ vita mea (4).

Vide ministerium, quod accepisti a Domino. * Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat (5), * et humilia respicit in cœlo et in terra? * Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem, * ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.

* Factum est illi testamentum æternum, fungi sacerdotio, et habere laudem, et glorificare populum suum in nomine ejus (6). * Ipsum elegit ab omni vivente offerre sacrificium Deo, incensum, et bonum odorem, in memoriam placare pro populo suo : * et dedit illi in præceptis suis potestatem, in testamentis judiciorum, docere Jacob testimonia, et in lege sua lucem dare Israël.

* Quis ego sum, Domine Deus, ut præstares mihi talia (7) ?

* Quid enim sum, ut faciam rem istam magnam (7)?

(1) Jer. 1. — (2) Isai 6. (3) II. Mac. 4. — (4) I. Reg. 18. — (5) Ps. 112. — (6) Eccli. 45. — (7) I. Par. 17. — (8) IV. Reg. 8.

II. MEDITATIO.

DE DISCIPLINÆ SACERDOTALIS LEGIBUS.

I. PUNCTUM.

Christus docet sacerdotes. — Prima lex, fuga mundi. — Fuga sæculi complectitur. — Contemptum voluptatum, — honorum, — et divitiarum.

* Audite hoc sacerdotes (1). * Ego non sum de mundo (2). * De mundo non estis : sed ego elegi vos de mundo : * propter quod exite de medio eorum, et separamini (3); * recedite, recedite, exite inde : pollutum nolite tangere : mundamini qui fertis vasa Domini (4) : * nolite contaminare animas vestras, ne immundi sitis (5); ego enim sum Dominus Deus vester; sancti estote : quoniam ego sanctus sum; * ut sciat unusquisque vestrum, vas suum possidere in sanctificatione et honore (6). * O quam pulchra est casta generatio cum claritate (7); * in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum præmium vincens.

* Cavete a scribis qui volunt in stolis ambulare, et salutari in foro (8), * et in primis cathedris

(1) Osee 5. --- (2) Joan. 17. --- (3) II. Cor. 6. --- (4) Isai 52. --- (5) Lev. 11. --- (6) I. Thes. 4. --- (7) Sap. 4. --- (8) Marc 12.

sedere in synagogis, et primos discubitus in cœnis : * quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis : et principes eorum potestatem habent ipsorum; * non ita autem est in vobis : sed quicumque voluerit fieri major, erit vester minister : * et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus; * nam et filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret.

* Videte, et cavete ab omni avaritia (1); * nolite facere domum patris mei, domum negotiationis (2); * gratis accepistis, gratis date (3); * ne quis profanus ut Esaü, qui propter unam escam vendidit primativa sua (4). * Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum : neque turpis lucri gratia, sed voluntarie (5): * neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo; * et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.

II. PUNCTUM.

Secunda lex, unio cum Christo. — Ex unione cum Christo oriuntur — Fiducia in Deum, — Dissidentia sui, spes multi fructus, — humilitas, — et Amor Dei, — vis orationis.

* Viri sancti eritis mihi (6) : * oleum quippe sanctæ unctionis est super vos (7); * eritis mihi

(1) Luc 12. — (2) Joan. 2. — (3) Matth. 10. — (4) Heb. 12. — (5) 1. Pet. 5. — (6) Exod. 22. — (7) Lev. 10.

sancti, quia sanctus sum ego Dominus : et separavi vos a populis, ut essetis mihi. * Custodite sacerdotium vestrum (1).

* Ego sum vitis vera : et pater meus agricola est (2) ; * omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum : et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. * Manete in me, et ego in vobis ; sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite ; sic nec vos, nisi in me manseritis. * Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me nihil potestis facere. * Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet.

* In hoc clarificatus est pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli. * Sicut dilexit me pater, et ego dilexi vos; manete in dilectione mea. * Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. * Ut quodcumque petieritis patrem in nomine meo, det vobis.

* Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a patre meo, qui in cœlis est (3) ; * ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. * Et non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vo-

(1) Num. 18. — (2) Joan. 15. — (3) Matth. 18.

bis (1), ipse enim pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis quia ego a Deo exivi.

III. PUNCTUM.

Tertia lex, vita apostolica. — Ad vitam apostolicam, hæc sunt imprimis necessaria, — Zelus animarum, — scientia, — audax et patiens libertas spiritus, — Mortificatio.

* Ignem veni mittere in terram; et quid volo nisi ut accendatur (2)? * Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ (3). * Ite igitur et succendite eum igni (4). * Quoscumque inveneritis vocate ad nuptias (5); * ut impleatur domus mea (6). Quoniam vos estis presbiteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite, * ne et illi moriantur, et vos pereatis (7). * Sic non est voluntas ante patrem vestrum qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis (8). * Vosmetipsos in dilectione Deis servate (9); * illos vero salvate, de igne rapientes.

* Numquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadent (10)? * Vos estis lux mundi (11); * habeatis scientiam discernendi inter

(1) Joan. 16. — (2) Luc 12. — (3) Marc 16. — (4) II. Reg. 14. — (5) Matth. 22. — (6) Luc 14. — (7) Judith. 8. — (8) Num. 18. — (9) Matth. 18. — (10) Judæ. — (11) Luc 6. Matth. 5.

sanctum et profanum, inter pollutum et mundum (1): * doceatisque filios Israël omnia legitima mea : * parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ est in vobis spe (2), * sed cum modestia. * Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus : quia Angelus Domini exercituum est (3).

* Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ (4). * Cavete autem ab hominibus : * eritis odio omnibus propter nomen meum. * Si mundus vos odit, scitote quia me priorem odio habuit (5). * Ne ergo timueritis eos (6). * Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine : et quod in aure auditis, prædicate super tecta ; * et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.

* Si quis mihi ministrat, me sequatur; et ubi ego sum, illic et minister meus erit (7). * Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus (8). * Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus (9). * Et qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus. * Amen, amen dico vobis : nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fue-

(1) Leu. 10. — (2) Lev. 10. — (3) 1. Pet. 3. — (4) Mal. 2. — (5) Matth. 10. — (6) Joan. 15. — (7) Matth. 10. — (8) Joan. 12. — (9) Matth. 10.

rit (1), ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.

TERTIA MEDITATIO.

DE SACERDOTII PROFANATIONE.

I. PUNCTUM.

Christus increpat prævaricatores sacerdotes. — Christus increpat sacerdotem salutis aliorum cupidum et suæ immemorem, — Sacerdotem amicum novatorum et hæreticorum, — Sacerdotem male cautum in dirigendis mulieribus, — Sacerdotem vitiosum et hypocritam, — Sacerdotem modicæ virtutis, — Sacerdotem tepidum et erroneæ conscientiæ, — Sacerdotem legis divinæ reum, et præconem, — Sacerdotes omnes simul prævaricatores.

* Audivi post me vocem magnam tanquam tubæ (2) * dicentis : quod vides scribe.

* Angelo Ecclesiæ. . . . . scribe. * Scio opera tua, et laborem, et patientiam tuam, et quia non potes sustinere malos : * et non defecisti : * sed habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti : * memor esto itaque unde excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac ; sin autem venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.

(1) Luc 14. — (2) Joan. 12.

* Et Angelo Ecclesiæ . . . . * Tenes nomen meum, et non negasti fidem meam. * Sed habeo adversus te pauca : quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, * doctrinam Nicolaitarum. * Pœnitentiam age : si quo minus veniam tibi cito, et pugnabo cum illis in gladio oris mei.

* Et Angelo. . . . * Novi opera tua, et fidem, et charitatem tuam. * Sed habeo adversus te pauca : quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit propheten, docere, et seducere servos meos.

* Et Angelo Ecclesiæ. . . . Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, et mortuus es. * Esto vigilans, et confirma cætera quæ moritura erant; non enim invenio opera tua plena coram Deo meo. * In mente ergo habe qualiter acceperis, et audieris, et serva, et pœnitentiam age. Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies qua hora veniam ad te.

* Et Angelo Ecclesiæ. . . . . * Quia modicam habes virtutem, et servasti verbum meum, et non negasti nomen meum, * ego servabo te ab hora tentationis. * Ecce venio cito : tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.

* Et Angelo Ecclesiæ. . . . . * Scio opera tua : quia neque frigidus es, neque calidus : utinam frigidus esses, aut calidus : * sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. * Quia dicis, quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo : et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus. * Suadeo tibi emere a me aurum ignitum

probatum, ut locuples fias, et vestimentis albis induaris, et non appareat confusio nuditatis tuæ : et collyrio inunge oculos tuos ut videas. * Ego quos amo, arguo, et castigo. Æmulare ergo, et pœnitentiam age.

* Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum (1)? Tu vero odisti disciplinam : et projecisti sermones meos retrorsum. * Si videbas furem currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas. * Os tuum abundavit malitia : et lingua tua concinnabat dolos. * Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum. * Hæc fecisti et tacui. Existimasti iniquc, quod ero tui similis, arguam te et statuam contra faciem tuam. * Intelligite hæc qui obliviscimini Deum : ne quando rapiat, et non sit qui eripiat. * Sacrificium laudis honorificabit me : et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.

* Si nolueritis audire, et si nolueritis ponere super cor ut detis gloriam nomini meo, mittam in vos egestatem, et maledicam benedictionibus vestris, et maledicam illis : quoniam non posuistis super cor (2). * Ecce ego projiciam vobis brachium, et dispergam super vultum vestrum stercus solennitatum vestrarum. * Et scietis quia misi ad vos mandatum istud, ut esset pactum meum cum Levi. * Pactum meum fuit cum eo vitæ et pacis : et dedi ei timorem, et timuit me, et a facie no-

(1) Ps. 49. — (2) Mal. 2.

minis mei pavebat. * Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus : in pace et in æquitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate. * Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus : quia Angelus Domini exercituum est. * Vos autem recessistis de via, et scandalisastis plurimos in lege : irritum fecistis pactum. * Propter quod et ego dedi vos contemptibiles, et humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas.

II. PUNCTUM.

Prævaricator sacerdos miserum vitæ suæ statum expendit. — Sacerdos se ipsum in multis reum agnoscit et accusat coram Deo. — Obstupescit præ pudore, comparans præsentem statum cum statu præterito. — Cogitat de conversione ; — sed ab omni parte sentit et timet ejus difficultatem maximam ; — Se tamen excitat ad fiduciam in divinam misericordiam.

* Ego vir videns paupertatem meam (1), * nihil quidem habens dignum sacerdotio, * homo apostata, vir inutilis (2), * diligens hoc sæculum (3), * reversus ad vomitum (4), reus corporis et sanguinis Domini (5). * Pene fui in omni malo, in medio Ecclesiæ (6).

* Inveterate dierum malorum (7), * cur tenta-

(1) Thr. 3. II. Mac. 4. — (2) Prov. 6. — (3) II. Tim. 4. — (4) II. Pet. 2. — (5) I. Cor. 11. — (6) Prom. 5. — (7) Dan. 13.

vit satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto (1), * violare sancta, et polluere tabernaculum (2)? * Semen Chanaan, et non Juda, species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum (3). * Blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc (4).

* Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum; sed speravit in multitudine divitiarum suarum : et prævaluit in vanitate sua (5) * multiplicavit altaria ad peccandum : factæ sunt ei aræ in delictum (6). * Pecunia tua sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri : Blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc (7).

* Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus (8)? * Filii Sion incliti, et amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea? * Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis : qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. * Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. * Denigrata est super carbones facies eorum.

* Hæc est sors tua (9).

* Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, * qui dicebas in corde tuo : in cœlum conscendam, super astra

(1) Actor. 5. — (2) Judith. 9. — (3) Dan. 13. — (4) II. Reg. 12. — (5) Ps. 51. — (6) Osee 8. — (7) Act. 8. — (8) Thr. 4. — (9) Isai 57.

Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, * similis ero Altissimo, dicebas. * Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci; * qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient : numquid iste est vir? * Et tu vulneratus es sicut et nos, nostri similis effectus es. * Sicut populus, sic Sacerdos.

Quomodo cecidisti? * Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore (1), * in deliciis paradisi fuisti : omnis lapis pretiosus operimentum tuum; * tu Cherub extentus, et protegens, * perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te : * perdidisti sapientiam tuam in decore tuo : * in multitudine iniquitatum tuarum polluisti sanctificationem tuam; * dedisti maculam in gloria tua (2).

Quomodo cecidisti? * Ecce docuisti multos, et manus lassas roborasti (3) : * vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua trementia confortasti : * Nunc autem * ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, et perfectio viarum tuarum?

* Destitutæ sunt tantæ divitiæ (4).

* O plene omni dolo et omni fallacia ; fili diaboli : inimice omnis justitiæ. Usquequo non desinis pervertere vias Domini rectas (5)? * Numquid qui cadit, non resurget? et qui aversus est, non revertetur (6)?

(1) Ezec. 28. — (2) Eccle. 47. — (3) Job. 4. — (4) Apoc. 18. — (5) Act. 13. — (6) Jer. 8.

* Vigilavit jugum iniquitatum mearum : infirmata est virtus mea : dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere (1). * Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas : quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam. * Repulsa est a pace anima mea : * abominabilis ei fit in vita sua panis, cibus ante desiderabilis (2).

* Dixi : Periit finis meus, et spes mea a Domino (3). * Impossibile est, eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus sancti (4), * gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, * et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, et ostentui habentes.

* Voluntarie enim peccantibus post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia. * Quomodo potui comedere eam (5)? * Peccavi tradens sanguinem justum (6), * reus corporis et sanguinis Domini (7) : *non semel, neque bis (8) : non dico usque septies, sed usque septuagesies septies. Jam non relinquitur pro peccatis hostia (9).

* Spera in Deo tuo semper (10). * Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum (11).

(1) Thr. 1. — (2) Job. 33. — (3) Thr. 3. — (4) Heb. 6. — (5) Lev. 10. — (6) Matth. 27. — (7) 1. Cor. 11. — (8) IV. Reg. 6. — (9) Matth. 28. — (10) Osee 12. — (11) Matth. 18.

* Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum filium Dei, teneamus confessionem (1); * non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. * Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

CONCLUSIO MEDITATIONIS.

Pœnitentis sacerdotis oratio, ad Jesum sacerdotem magnum.

* Audi, Jesu sacerdos magne (2), * princeps pastorum (3), * sacerdos in æternum (4), * cujus factus sum minister secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum operationem virtutis ejus (5).

Audi, Jesu sacerdos magne, * semper vivens ad interpellandum pro nobis (6). Audi: * Domine, miserere mei (7).

* Sana animam meam, quia peccavi tibi (8). * Peccavi tradens sanguinem justum (9), * reus corporis et sanguinis Domini (10).

Sana animam meam. * Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur (11).

Tantum dic verbo. * Loquere, Domine, quia

(1) Heb. 4. — (2) Zach. 3. — (3) 1. Pet. 5. — (4) Ps. 109. — (5) Eph. 3. — (6) Heb. 7. — (7) Ps. 85. — (8) Ps. 40. — (9) Matth. 27. — (10) 11. Cor. 11. — (11) Matth. 8.

audit servus tuus (1). Dic animæ meæ : Salus tua ego sum : et sanabitur (2).

Domine non sum dignus * offerre sacrificium Deo, incensum, et bonum odorem, in memoriam placare pro populo. Sed tantum dic verbo (3) ? * Fili, remittuntur tibi peccata tua (4).

* Jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis (5). * Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam (6) : * custodi animam meam, quoniam sanctus sum (7).

* Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo et doloso erue me (8); * quia tu es Deus fortitudo mea : quare me repulisti; et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus ? * Emitte lucem tuam et veritatem tuam : ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua. Emitte, * et introibo ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus : * quare tristis es anima mea, et quare conturbas me ? Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultus mei et Deus meus.

* Domine, quando respicies? restitue animam meam (9). * Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te ; narrabo nomen tuum

(1) 1. Reg. 3. — (2) Ps. 34. — (3) Eccle. 45. — (4) Matth. 9. — (5) Luc 15. — (6) Ps. 25. — (7) Ps. 85. — (8) Ps. 42. — (9) Ps. 34.

fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te (1). * Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur (2). Quamdiu quidem ego sum, ministerium meum honorificabo (3). * Ego libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus (4).

* Fiat, fiat (5).

* Fidelis sermo et omni acceptione dignus; quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum (6).

(1) Ps. 21. — (2) Ps. 50. — (3) Rom. 11. — (4) 1. Cor. 12. — (5) Ps. 88. — (6) 1. Tim. 1.

TRES

MEDITATIONES

DE RELIGIOSO STATU.

PRIMA MEDITATIO.

DE FELICITATE RELIGIOSÆ SOLITUDINIS.

PRIMUM PUNCTUM.

Exulant ab ea omnia mala mundi. — Religiosus considerat felicem hanc solitudinem, — a qua Deus removet sterilitatem animæ, — ariditatem cordis, — perturbationem cupiditatum, — malorum hominum consortium, — dæmonum tentationem, — tristitiam et dolorem, — terrenarum rerum cupiditatem, — peccatum, — errores et tenebras mundi, — omnem salutis difficultatem; — Immunitatem vero tot malorum sibi gratulatur religiosus perfectus.

* Lætabitur deserta et invia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium (1).

* Germinans germinabit, et exultabit lætabunda et laudans. Gloria Libani data est ei : decor Carmeli et Saron; ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri.

(1) Isai 35.

* Scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine : * et quæ erat arida, erit in stagnum, et sitiens in fontes aquarum.

In cubilibus in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et junci.

* Et erit ibi semita et via, et via sancta vocabitur : non transibit per eam pollutus, et hæc erit vobis directa via : ita ut stulti non errent per eam.

* Non erit ibi leo, et mala bestia non ascendet per eam, nec invenietur ibi : et ambulabunt qui liberati fuerint.

* Et redempti a Domino convertentur, et venient in Sion cum laude : et lætitia sempiterna super caput eorum ; gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.

* Non esurient, neque sitient ; et non percutiet eos æstus et sol : quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos.

* Exulta et lauda habitatio Sion : * non audietur ultra iniquitas in terra tua, vastitas et contritio in terminis tuis, et occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio.

* Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te : sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. * Ecce tenebræ operient terram ; et caligo populos : super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur.

* Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et

collis humiliabitur : et erunt prava in directa et aspera in vias planas.

* Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est (1).

* Multi dicunt (2) : * Quis dabit me in solitudine diversorium viatorum, et derelinquam populum meum, et recedam ab eis? quia omnes adulteri sunt, cœtus prævaricatorum (3).

* Beatus vir qui facit hæc, et filius hominis, qui apprehendit istud.

* Ecce elongavi fugiens : et mansi in solitudine (4).

* Te decet hymnus Deus in Sion : et tibi reddetur votum (5). Beatus quem elegisti et assumpsisti.

II. PUNCTUM.

Religiosa solitudo omnia vera bona continet. — Solitudinis hujus felicis frequentatio, — et abundantia ; — sic olim Deo promittente, præsertim pro spiritualibus bonis, — etiam usque ad delicatissimam consolationem.

* Lauda sterilis quæ non paris : decanta laudem, dicit Dominus (6).

* Leva in circuitu oculos tuos, et vide : omnes isti congregati sunt, venerunt tibi : omnibus his velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi

(1) Matth. 19. — (2) Ps. 4. — (3) Jer. 9. — (4) Ps. 54. — (5) Ps. 64. — (6) Isai. 54.

eos, quasi sponsa : * quia deserta tua, et solitudines tuæ, et terra ruinæ tuæ nunc angusta erunt præ habitatoribus, et longe fugabuntur qui absorbebant te. * Adhuc dicent in auribus tuis, filiis sterilitatis tuæ : angustus est mihi locus, fac spatium mihi ut habitem.

* Et dices in corde tuo : quis genuit mihi istos ? Ego sterilis non et pariens, transmigrata et captiva : et istos quis enutrivit ? Ego destituta et sola : et isti ubi erant ;

* Hæc dicit Dominus Deus : Ecce levabo ad gentes manum meam, et ad populos exaltabo signum meum : et afferent filios tuos in ulnis, et filias tuas super humeros portabunt. * Et erunt Reges nutrici tui ; et Reginæ nutrices tuæ : vultu in terram demisso adorabunt te. Et scies quia ego Dominus, super quo non confundentur qui expectant eum.

* Amen dico vobis, nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei (1), * et non recipiat multo plura in hoc tempore, et in sæculo venturo, vitam æternam.

* Ambulabo inter vos, et ero Deus vester, vosque eritis populus meus (2) : ego Dominus Deus vester, qui eduxit vos de terra Ægyptiorum, ne serviretis eis, et qui confregit catenas cervicum vestrarum, ut incederis erecti.

* Ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in

(1) Luc 18. — (2) Lev. 26.

filios et filias (1). * Lætamini cum Jerusalem, et exultate in ea omnes qui diligitis eam (2): * ut fugatis, et repleamini ab ubere consolationis ejus: ut mulgeatis, et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus; * quia ecce: Ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis? ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. * Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Jerusalem consalabimini. * Videbitis, et gaudebit cor vestrum: et cognoscetur manus Domini servis ejus, et indignabitur inimicis suis.

III. PUNCTUM.

Religiosa solitudo, tota occupatur in sanctis exercitiis. — Omnis occupatio status religiosi refertur ad gloriam Dei. — Habetur hic divinarum laudum celebratio, — oratio, — castitatis vita angelica, paupertatis, patientiæ, obedientiæ, et charitatis felicia officia, — omnium virtutum studium, — ordo et pax sub regno justitiæ, — perpetuum et admirabile cum Deo commercium, — quod explicatur per colloquium Dei et animæ religiosæ.

Lauda sterilis quæ non paris, decanta laudem, dicit dominus (3).

Populus tuus omnes justi, in perpetuum hereditabunt terram germen plantationis meæ opus manus meæ ad glorificandum.

(1) II. Cor. 6. — (2) Isai. 66. — (3) Isai. 54.

* Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis. * Resonate montes laudationem, saltus, et omne liguum ejus.

Adducam eos in montem sanctum meum, et lætificabo eos in domo orationis meæ.

* Neque nubent, neque nubentur : sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo (1); * tanquam nihil habentes, et omnia possidentes (2), * et natio illorum obedientia et dilectio (3).

* Ibunt de virtute in virtutem (4), * a claritate in claritatem (5): Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei (6): * in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus in omni patientia et longanimitate cum gaudio.

Ponam visitationem tuam pacem, et præpositos tuos justitiam (7). Lex mea in corde eorum. * Habitabit in solitudine judicium et justitia sedebit; * et erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium, et securitas usque in sempiternum: * et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.

* Et scient quia ego Dominus Deus eorum cum eis, et ipsi populus meus (8), * ipse vocabit nomen meum, et ego exaudiam eum. Dicam : Populus meus es; et ipse dicet: Dominus Deus meus (9).

Dicam : * Vacate et videte quoniam ego sum

(1) Matth. 22. — (2) II. Cor. 6. — (3) Eccle. 3. — (4) Ps. 83. — (5) II. Cor. 3. — (6) Col. 1. — (7) Isai. 60. — (8) Ezech. 34. — (9) Zach. 13.

Deus (1), * beatus et solus potens (2) : * in me gratia omnis viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis (3), * et deliciæ meæ esse cum filiis hominum (4).

Et ipse dicet : * Quam bonus Israel Deus, qui recto sunt corde (5)? Mihi autem adhærere Deo bonum est; * non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed et lætitiam et gaudium (6).

Dicam : * Gustate et videte quoniam suavis est Dominus (7).

Et ipse dicet : * O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus (8).

Dicam : Populus meus es. * Beatus es tu Israel : quis similis tui populo, qui salvaris in Domino ? scutum auxilii tui et gladius gloriæ tuæ : negabunt te inimici tui, et tu eorum colla calcabis (9).

Et ipse dicet : Dominus Deus meus. * Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia (10)? * Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti, et portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum.

* Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum (11)? * concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea exultave-

(1) Ps. 45. — (2) 1. Tim. 6. — (3) Eccli. 24. — (4) Prov. 8. — (5) Ps. 72. — (6) Sap. 8. — (7) Ps. 33. — (8) Sap. 12. — (9) Deut. 33. — (10) Exod. 15. (11) Ps. 83.

runt in Deum vivum. * Beati qui habitant in domo tua, Domine ; * quia melior est dies una in atriis tuis super millia.

II. MEDITATIO.

DE LEGIBUS RELIGIOSÆ SOLITUDINIS.

I. PUNCTUM.

Fuga sæculi, ejusque commercii totius. — Perfectus religiosus est, qui nec sæculi sordibus inquinatur, — nec ejus negotiis temporalibus implicatur; — nec etiam spiritualia, nisi cum magna cautela tractat.

PRIMA LEX.

* Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est : immaculatum se custodire ab hoc sæculo (1); * si enim refugientes, coinquinationes mundi, in cognitione Domini nostri, et salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur : facta sunt eis posteriora deteriora prioribus (2); * melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato; contigit enim eis illud veri proverbii : Canis reversus ad suum vomitum; et sus lota in volutabro luti.

* Dicit Dominus (3) : * Et nunc quid tibi vis in

(1) Jac. 1. — II. Pet. 2. — (3) Jer. 2.

via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis? * Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum (1): * sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

* Labora sicut bonus miles Christi Jesu (2). * Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus: ut ei placeat, cui se probavit. * Nam et qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit. * Modo enim hominibus suadeo, an Deo? An quæro hominibus placere? si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem (3).

* Salva animam tuam: noli respicere post tergum tuum, nec stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac, ne et tu simul pereas (4). * Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro aptus est regno Dei (5). * Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo (6). * Sine ut mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade et annuntia regnum Dei (7).

Annuntia regnum Dei; * Recupera proximum secundum virtutem tuam, et attende tibi ne incidas (8), * et sit casus tuus insanabilis in mortem. * Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum

(1) Joan. 4. — (2) II. Tim. 2. — (3) Gal. 1. — (4) Gen. 19. — (5) Luc 9. — (6) Gal. 6. — (7) Luc 9. — (8) Eccle. 29.

patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua (1)?

* Miserere animæ tuæ placens Deo, et contine: congrega cor tuum in sanctitate ejus (2).

* Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos (3); * ne forte impleantur extranei viribus tuis, et labores tui sint in domo aliena, * et gemas in novissimis, quando consumpseris carnes tuas, et corpus tuum, et dicas: * Cur detestatus sum disciplinam, et increpationibus non acquievit cor meum, * nec audivi vocem docentium me, et magistris non inclinavi aurem meam? * Pene fui in omni malo, in medio Ecclesiæ et synagogæ. * Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui. * Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide: * habeto eas solus, nec sint alieni participes tui.

* Hæc meditare, in his esto: ut profectus tuus manifestus sit omnibus (4). * Attende tibi et doctrinæ: insta in illis; hoc enim faciens, et te ipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.

(1) Matth. 16. — (2) Eccle. 30. — (3) Prov. 5. — (4) Tim. 4.

II. PUNCTUM.

Cura proficiendi in vita spirituali. — Hujus curæ rationes. — Felicitas illius profectus. — Religiosi prima intentio. — Jus Dei. — Sancti institutoris, aliorumque sanctorum exemplum. — Ipsius Dei imitatio. — Divinæ gratiæ perpetuum auxilium usque ad mortem et merces in gloria cœlesti.

SECUNDA LEX.

* Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit: * sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte. * Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo : et folium ejus non defluet : et omnia quæcumque faciet prosperabuntur. * Justus ut palma florebit : sicut cedrus Libani multiplicabitur (1); * hic accipiet benedictionem a Domino : et misericordiam a Deo salutari suo (2). * Hæc est generatio quærentium eum : quærentium faciem Dei Jacob.

* Benedicite omnes religiosi Domino (3); * Si quæritis, quærite (4); * Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum (5) : * et in altero quidem opprobriis et tribulationibus spectaculum

(1) Ps. 91. — (2) Ps. 23. — (3) Dan. 3. (4) Isai. 21. — (5) Heb. 10.

facti; in altero autem socii taliter conversantium effecti.

Benedicite omnes religiosi Domino; * Dei agricultura estis (1), * plantatio Domini ad glorificandum (2), * in terra sanctificata (3), * in terra sanctorum (4). * Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ (5). * Obaudite me, divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum, fructificate (6) : * quasi Libanus odorem suavitatis habete. * Florete flores quasi lilium, et date odorem, et frondete in gratiam, et collaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis; * date nomini ejus magnificentiam, et confitemini illi in voce labiorum vestrorum, et in canticis labiorum, et citharis, et sic dicetis in confessione : * Opera Domini universa bona valde.

Benedicite omnes religiosi Domino. * Audite me, qui sequimini quod justum est, et quæritis Dominum : attendite ad petram unde excisi estis (7). * Attendite ad Abraham patrem vestrum : * Si filii Abraham estis, opera Abrahæ facite (8). Laudemus vires gloriosos et parentes nostros (9). * Filii sanctorum sumus, et vitam illam expectamus : quam Deus daturus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo (10).

Benedicite omnes religiosi Domino; * Æmulamini autem charismata meliora, et adhuc excel-

(1) 1. Cor. 3. — (2) Isai. 61. — (3) Zach. 2. — (4) Isai. 26. — (5) Jac. 5. — (6) Eccle. 39. — (7) Isai. 51. — (8) Joan. 8. — (9) Eccle. 44. — (10) Tob. 2.

lentiorem viam vobis demonstro (1). * Estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester cœlestis perfectus est (2).

Benedicite omnes religiosi Domino. * Plantati in domo Domini in atriis domus Dei nostri florebunt (3). * Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi. Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te (4). * Beatus vir, cujus est auxilium abs te : ascensiones in corde suo disposuit, * in valle lacrymarum, in loco, quem posuit : * etenim benedictionem dabit legislator : ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus Deorum in Sion.

* Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam : auribus percipe Deus Jacob. * Protector noster aspice Deus : * melior est dies una in atriis tuis super millia. Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum ; * quia misericordiam, et veritatem diligit Deus : gratiam, et gloriam dabit Dominus ; * non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia : Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

(1) 1. Cor. 12. — (2) Matth. 5. — (3) Ps. 91. — (4) Ps. 83.

III. PUNCTUM.

Omnia expectandi a Deo felix obligatio. — Oritur hæc obligatio ex promissione Christi, — de centuplo et vita æterna. — Promissionem hanc religiosus admiratur, et expendit per colloquium cum Christo : — pro quo omnia reliquit : — et a quo omnia expectat, — atque etiam nunc accipit multa.

TERTIA LEX.

* Petrus dixit : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te : quid ergo erit nobis (1)? * Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.

* Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit : * centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros, cum persecutionibus, et in sæculo futuro vitam æternam (2).

* Quid est hoc (3)? * Vox Domini in virtute : vox Domini in magnificentia (4).

* Maxima et pretiosa nobis promissa (5).

* Benedicite omnes religiosi Domino, Deo

(1) Matth. 19. — (2) Marc. 10. — (3) Exod. 16. — (4) Ps. 28. — (5) II. Pet. 1.

Deorum, laudate et confitemini ei, quia in omnia sæcula misericordia ejus (1). * Et sic dicetis in confessione (2) :

Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te : quid ergo erit nobis ?

Ecce nos reliquimus omnia, * Omnia desiderabilia nostra (3) : Omnia, * quasi nihilum et inane : Omnia, * ut stercora (4). Reliquimus, * sponte et arbitrio cordis (5) : * corde toto, gaudio magno (6), * et votis magnis promissis (7).

Et secuti sumus te * Christum ducem (8) : * In lumine tuo (9) : * Cor nostrum ardens erat in nobis (10).

Et secuti sumus te * despectum et novissimum virorum, virum dolorum (11).

Et secuti sumus te, * usque ad mortem, mor[illegible] (12).

Quid ergo erit nobis ? * Dominus regit me, et nihil mihi deerit (13).

Reliquimus omnia, et secuti sumus te : * et quæ erunt mihi ex hoc bona (14) : * Omnia in Christo, quæ in cœlis, et in terra sunt (15) :

Omnia in Christo, * in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (16) : * Omnia desiderabilia ejus (17).

(1) Dan. 3. — (2) Eccle. 39. — (3) Isai. 64. — (4) Phil. 3. — (5) IV. Reg. 12. — (6) I. Par. 29. — (7) II. Mac. 3. — (8) Dan. 9. — (9) Ps. 35. — (10) Luc. 24. — (11) Isai. 53. — (12) Phil. 2. — (13) Ps. 22. — (14) Eccle. 11. — (15) Eph. 1. — (16) Col. 2. — (17) Thr. 1.

Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te : * quæ est ergo merces mea (1)? * Merces tua magna nimis (2) * est Christus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula (3).

* Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei. Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi (4). Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi.

Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, * Quasi morientes, et ecce vivimus : ut castigati et non mortificati (5) : * Quasi tristes, semper autem gaudentes : sicut egentes, multos autem locupletantes : tanquam nihil habentes, et omnia possidentes, * Expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, et salvatoris nostri Jesu Christi (6).

(1) I. Cor. 9. — (2) Gen. 15. — (3) Rom. 9. — (4) Ps. 15. — (5) II. Cor. 6. — (6) Tit. 2.

TERTIA MEDITATIO.

DE IMPROBIS RELIGIOSIS.

I. PUNCTUM.

Consideratio communis omnibus. — Improborum religiosorum variæ figuræ; — quas ut intelligant admonentur, — tum ut pœnitentiam agant, — nec confidant sanctitati sui ordinis, — sed timeant imminentem Dei vindictam.

Væ illis, qui in via Cain abierunt (1);
Et errore Balaam mercede effusi sunt;
Et in contradictione Core perierunt.

* Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris despumantes suas confusiones, sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum. * Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis * facere judicium contra omnes.

* Intelligite hæc qui obliviscimini Deum; ne quando rapiat, et non sit qui eripiat (2). * Quomodo dicitis: sapientes nos sumus, et lex Domini nobiscum est (3).

(1) Judæ. 2. — (2) Ps. 49. — (3) Jer. 8.

Intelligite : Hi sunt arbores autumnales, * incerto tempore fructus habentes arbores (1); * non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos faciens fructum bonum (2). * Unaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur; neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvam.

* Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ (3); * et ne velitis dicere intra vos, patrem habemus Abraham : quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ; * Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.

Intelligite : Jam securis ad radicem arborum posita est.

II. PUNCTUM.

Singulorum varii characteres. — Religiosus multa et magna operans exterius ex vanæ gloriæ cupiditate. — Illius figura est arbor portentosa, — quæ jussu Dei succiditur, — reservato germine in radicibus. — Hanc sibi figuram aptat religiosus.

PRIMUS CHARACTER.

Videbam, et ecce arbor in medio terræ, et altitudo ejus nimia (4). * Magna arbor et fortis : et proceritas ejus contingens cœlum : aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ. * Folia

(1) Sap. 10. — (2) Luc. 6. — (3) Matth. 3. — (4) Dan. 4.

ejus pulcherrima, et fructus ejus nimius : et esca universorum sub ea. Subter eam habitabant animalia et bestiæ, et in ramis ejus conversabantur volucres cœli : et ex ea vescebatur omnis caro. *Et ecce vigil et sanctus de cœlo descendit, * clamavit fortiter, et sic ait : Succidite arborem, et præcidite ramos ejus : excutite folia ejus, et dispergite fructus ejus : fugiant bestiæ quæ subter eam sunt, et volucres de ramis ejus. * Verumtamen germen radicum ejus in terra sinite.

* Qui legit intelligat (1) :

* Arborem quam vidisti sublimem, atque robustam (2), * tu es, qui magnificatus es, et invaluisti. * Porro Deum qui habet flatum tuum in manu sua, et omnes vias tuas, non glorificasti : * Non humiliasti cor tuum, cum scires hæc omnia; * sed adversum dominatorem cœli elevatus es.

* Succidite arborem, et dissipate illam :

* Hæc est interpretatio sententiæ Altissimi.

Succidite arborem :

* Ejicient te ab hominibus (3), * de numero fratrum tuorum (4), * et cum bestiis ferisque erit habitatio tua (5). * Homo, cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.

Succidite arborem, et dissipate illam :

* Tollent omnes labores tuos (6), * labores sine fructu, et inutilia opera (7).

(1) Marc. 13. — (2) Dan. 4. — (3) Deut. 17. — (4) Dan. 4. — (5) Ps. 48. — (6) Ezech. 23. — (7) Sap. 3.

* Quod autem præcepit ut relinqueretur germen radicum ejus, id est, arboris (1) : * admoneo te, ut ressuscites gratiam Dei quæ in te est (2).

II. CHARACTER.

Religiosus peccator occultus. — Hujus figura est oliva fructifera, — quæ consumpta est ab igne intus suscepto. — Hanc sibi Religiosus figuram convenire agnoscit, et dolet.

* Hæc dicit Dominus (3) : * Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas in quibus gloriata es? * Olivam uberem pulchram, fructiferam, speciosam, vocavit Dominus nomen tuum : ad vocem loquelæ, grandis exarsit ignis in ea, et combusta sunt frutera ejus. * Et Dominus exercituum, qui plantavit te, locutus est super te malum.

* Quis est vir sapiens, qui intelligat hoc, ad quem verbum oris Domini fiat?

* Tu es ille vir (4); sic exarsisti (5) : * sic facta sunt tibi, in quibuscumque laboraveras (6).

* Tu autem Domine, demonstrasti mihi, et cognovi (7). * Ad te, Domine, clamabo : quia ignis comedit speciosa deserti (8). * O Domine libera animam meam (9); * ne penitus pereat (10).

(1) Dan. 4. — (2) II. Tim. 1. — (3) Jer. 11. — (4) II. Reg. 12. — (5) Gen. 31. — (6) Isai. 47. — (7) Jer. 11. — (8) Joel. 1. — (9) Ps. 114. — (10) II. Reg. 14.

III. CHARACTER.

Religiosus vacuus bonis operibus et meritis. — Ejus est figura, ficus infructuosa. — Hanc sibi figuram applicat religiosus. — Deus vocavit illum ad religionem : — Non vixit religiose. — Mortem illi aut derelictionem intentat Deus, — quasi obstupescens quod tam sanctum locum occupet; — rogante tamen sancto patrono, aut angelo concedit illi Deus adhuc annum unum ad pœnitentiam; — unde Religiosus concludit, pœnitendum esse.

* Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit quærens fructum in illa, et non invenit (1). * Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio : succide ergo illam : ut quid etiam terram occupat ? * At ille respondens dicit illi : Domine, dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora : * et siquidem fecerit fructum : sin autem, in futurum succides eam.

* Ab arbore autem fici discite parabolam (2). * Qui legit intelligat.

* Deus gloriæ (3) * dixit ad illum : Exi de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram quam monstravero tibi.

* Transtulit illum in terram istam, in locum sanctum (4), * ut operaretur, et custodiret illum (5), * ut fructum plus afferat (6).

(1) Luc. 13. — (2) Matth. 24, — (3) Act. 7. — (4) II. Mach. 2. — (5) Gen. 2. — (6) Joan. 15.

* In omnibus est inutilis (1) : * Animæ suæ inutilis (2) : * Quasi stirps inutilis (3).

Ut quid etiam terram occupat.

* Hæc dicit Dominus : Ecce quos ædificavi, ego destruo : et quos plantavi, ego evello (4). * Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores (5). * Obliviscatur ejus misericordia : dulcedo illius vermes : non sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum (6).

Ut quid etiam terram occupat ?

* Terram bonam, terram rivorum aquarumque et fontium (7) : * Olei ac mellis (8) :

* Terram frumenti et vini (9) : * Terram desiderabilem, hæreditatem præclaram (10) :

* Terram fluentem lacte et melle, præcipuam terram omnium (11).

Conteratur quasi lignum infructuosum :

Ut quid etiam terram occupat ?

* Et audivi unum de sanctis loquentem, et dixit : Domine, dimitte et hoc anno (12).

* Dedit ei Deus locum pœnitentiæ (13).

Et hoc anno : * Tempus breve est (14).

Et hoc anno : * Tempus non erit amplius (15).

Et hoc anno : * Putasne intelligis quæ legis (16) ?

(1) Sap. 13. — (2) Eccle. 37. — (3) Isai. 14. — (4) Jer. 45. — (5) Matth. 25. — (6) Job. 24. — (7) Deut. 8. — (8) IV. Reg. 18. — (9) Isai. 36. — (10) Jer. 3. — (11) Ezech. 20. — (12) Dan. 8. — (13) Job. 24. — (14) I. Cor. 7. — (15) Apoc. 10. — (16) Act. 8.

Et hoc anno : * Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem (1); * subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperset te.

IV. CHARACTER.

Religiosus derelictus a Deo. — Istius figura est infructuosa ficus a Christo maledicta, et continuo arefacta. — In hac figura se agnoscit Religiosus : — quod in hunc statum inciderit, dolet; — unde ita factum sit, inquirit; — nempe quod non foverit gratiam in se, — et derelictus fuerit a Deo. — Sentit difficultatem maximam convertendi se ad Deum; — se tamen ad spem excitat: — Et gratiam conversionis petit, — promittendo meliorem vitam.

Jesus (2) * esuriit, et videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam : et nihil invenit in ea, nisi folia tantum, et ait illi : Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea. * Et videntes discipuli, mirati sunt, dicentes : quomodo continuo aruit ?

* Qui habet aures audiendi audiat (3).

* Hæc dicit Dominus ad me (4) :

Ecce ego lignum aridum.

Væ mihi, quia defecit anima mea (5); * dereliquit me virtus mea; et lumen oculorum meo-

(1) Eccle. 5. — (2) Matth. 21. — (3) Luc. 8. — (4) Isai. 18. — (5) Jer. 4.

rum et ipsum non est mecum (1). * Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum. (2).

Quomodo continuo aruit?

* Aruit cor meum : quia oblitus sum comedere panem meum.

Quomodo continuo aruit ?

* Deus recessit a me (3). * Destruxit me undique, et pereo, et quasi evulsæ arbori abstulit spem meam (4).

Ecce ego lignum aridum; * lignum aridum in eremo (5) * Desperavi, nequaquam ultra vivam (6). * Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi (7).

* Non desperes, est enim regressus (8).

* Hæc dicitDominus Deus (9) : * Scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliavi lignum sublime, et exaltavi lignum humile : et siccavi lignum viride, et frondere feci lignum aridum.

Non desperes; * Lignum habet spem : si præciosum fuerit, rursum virescit, et rami ejus pullulant (10). * Si senuerit in terra radix ejus, et in pulvere emortuus fuerit truncus illius, * ad odorem aquæ germinabit, et faciet comam, quasi cum primum plantatum est.

Ego lignum aridum : * Rore cœli tingatur, ad odorem aquæ germinabit (11).

(1) Ps. 37. — (2) Ps. 101. — (3) 1. Reg. 28. — (4) Job. 19. — (5) Eccle. 6. — (6) Job. 7. — (7) Ps. 142. — (8) Eccle. 22. — (9) Ezech. 17. — (10) Job. 14. — (11) Dan. 4.

* Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum? et plorabo die ac nocte. Ad odorem aquæ germinabit lignum aridum in eremo (1).

Quis dabit? * Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus (2).

* Domine, da mihi hanc aquam (3).

Ego lignum aridum: Ad odorem aquæ germinabit.

Domine, da mihi hanc aquam.

* Expandi manus meas ad te: anima sicut terra sine aqua tibi (4). * Velociter exaudi me, Domine: defecit spiritus meus.

* Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum (5).

(1) Jer. 9. — (2) Ps. 71. — (3) Joan. 4. — (4) Ps. 142. — (5) Ps. 84.

TRES

MEDITATIONES

DE PECCATO.

PRIMA MEDITATIO.

DE ATROCITATE PECCATI MORTALIS CONSIDERATI UT EST CONTEMPTUS DEI.

PRIMUM PUNCTUM.

Consideratur contemptus Dei in seipso. — Deus de illo contemptu queritur, ejusque naturam explicat. --- Idipsum est Deum derelinquere, --- ab illo elongare, --- ipsum expellere, --- inutilem habere, --- contra ipsum rebellare, --- illi præferre creaturam. --- Idipsum est agere cum Deo alia ratione ac utuntur homines rationis compotes cum hominibus, --- populi excæcati cum suis falsis Diis, --- etiamque animantes cum hominibus.

Obstupescite cœli super hoc, et portæ ejus desolamini vehementer, dicit Dominus (1); *Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.

(1) Jer. 2.

Me dereliquerunt. * Elongaverunt a me. * Dixerunt : recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus (1). * Quis est omnipotens, ut serviamus ei ? et quid nobis prodest si oraverimus illum ?

* Populе stulte et insipiens (2), a sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti : Non serviam (3).

* Oderunt me (4) ; * et servierunt creaturæ potius quam Creatori (5). * Quasi de industria recesserunt ab eo, et omnes vias ejus intelligere noluerunt (6).

Obstupescite cœli super hoc.

* Filius honorat patrem, et servus Dominum suum : si ergo pater ego sum, ubi est honor meus (7). * Filios enutrivi, et exaltavi ; ipsi autem spreverunt me (8) * Si Dominus ego sum, ubi est timor meus (9) ? * Dixistis : vanus est qui servit Deo.

* Transite ad insulas Cethim, et videte : et in Cedar mittite, et considerate vehementer : et videte si factum est hujuscemodi (10) : * si mutavit gens Deos suos, et certe ipsi non sunt Dii : populus vero meus, mutavit gloriam suam in idolum.

Obstupescite cœli super hoc.

* Cognovit bos possessorem suum, et asinus

(1) Job. 21. — (2) Deut. 32. — (3) Jer. 2. — (4) Exod. 20. — (5) Rom. 1. — (6) Job. 34. — (7) Mal. 1. — (8) Isai. 1. — (9) Mal. 1. — (10) Jer. 2.

præsepe Domini sui : Israël autem me non cognovit, et populus meus non intellexit (1). * Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis : dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israël, abalienati sunt retrorsum.

II. PUNCTUM.

Consideratur contemptus Dei in peccato, ut spectat ipsum hominem. — Expendit homo vilitatem suam, simul et audaciam, qua noluit Deo servire; ac super hoc, seipsum confundit.

* O homo, tu quis es, qui respondeas Deo (2)? Ergone credibile est (3) ? * Adversum dominatorem cœli elevatus es : Et dixisti : Non serviam (4).

O homo tu quis es ? * Terra et cinis (5) : * Testa de samiis terræ (6) : * Caro (7) :

* Caro immunda (8) :

* Caro sicut fœnum (9) :

* Putredo (10) :

* Folium quod vento rapitur.

* Vapor ad modicum parens, et deinceps exterminabitur (11).

O homo, tu quis es ?

* Homo infirmus, et exigui temporis, et mi-

(1) Isai. 1. — (2) Rom. 9. — (3) II. Par. 6. — (4) Dan. 5. — (5) Eccle. 10. — (6) Isai. 45. — (7) Ps. 77. — (8) Ezech. 4. — (9) Eccle. 14. — (10) Job. 13. — (11) Jac. 4.

nor ad intellectum (1) : * homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis (2): * qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet.

* Pulvis es, et in pulverem reverteris (3) :
Et dixisti : Non serviam ;
* Adversum dominatorem cœli elevatus es.
Ergone credibile est ?

III. PUNCTUM.

Consideratur Dei contemptus, ut ipsum spectat Deum. — Peccatum opponitur Dei infinitæ majestati, — perfectionibus, — gloriæ, — beneficiis, — promissis, — minis, — sed imprimis amori.

Ausculta hæc : sta, et considera mirabilia Dei (4) * condemnabit te os tuum.

* Ecce gentes quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ reputatæ sunt; ecce insulæ quasi pulvis exiguus (5), * et Libanus non sufficiet ad succendendum, et animalia ejus non sufficient ad holocaustum. * Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei ;

Et dixisti : Non serviam.

* Magnus est, et non habet finem : excelsus et immensus (6) : * terribilis et fortis, justus et mi-

(1) Sap. 9. — (2) Job. 14. — (3) Gen. 3. — (4) Job. 37. (5) Isai. 40. — (6) Bar. 3.

sericors (1): * beatus et solus potens (2), * qui solus habet immortalitatem : * habitans æternitatem (3). * Sanctum et terribile nomen ejus (4), * et sapientiæ ejus non est numerus (5);

Et dixisti : Non serviam.

* Universa propter semetipsum operatus est Dominus (6) ; plena est omnis terra gloria ejus (7); * magna opera Domini : exquisita in omnes voluntates ejus (8);

Et dixisti : Non serviam.

* Quid dignum poterit esse beneficiis ejus (9)? * Quanta fecit animæ meæ (10)! * Qualem charitatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur, et simus(11). * Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret ; ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam (12), * per sanguinem ejus (13).

Et dixisti : non serviam.

* Nullus ei similis in legislatoribus (14). * Lex Domini immaculata convertens animas (15). *Gratiam et gloriam dabit (16); Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum (17).

Et dixisti : Non serviam.

* Deus, cujus iræ nemo resistere potest, et sub

(1) II. Macc. 1.--- (2) I. Tim. 6. — (3) Isai. 57.— (4) Ps. 110. — (5) Ps. 146. --- (6) Prov. 16. --- (7) Isai. 6. --- (8) Ps. 110. — (9) Tob. 12. --- (10) Ps. 65. --- (11) I. Joan. 3. --- (12) Joan. 3. --- (13) Col. 1. --- (14) Job. 36. --- (15) Ps. 18. --- (16) Ps. 83. --- (17) I. Cor. 2.

quo curvantur qui portant orbem (1); * non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum (2); * potest et animam, et corpus perdere in gehennam (3).

Et dixisti : Non serviam.

* Deus charitas est : et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo (4). * Et hoc mandatum habemus a Deo (5) : * Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. * Hoc est maximum et primum mandatum; * hæc est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus : et mandata ejus gravia non sunt (6); * omnis enim lex in uno sermone impletur : Diliges (7).

Diliges. * Jugum suave (8)!

* Dicit tibi Magister (9) : * Præbe, fili mi, cor tuum mihi (10). * Si scires donum Dei, et quis est, qui dicit tibi : Præbe cor tuum mihi (11)! * Et dixisti : nequaquam faciam; adamavi quippe alienos, et post eos ambulabo. Et dixisti : non serviam (12).

* Stulte igitur egisti (13). * Justum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire (14). * Obedire oportet Deo magis quam hominibus (15). * Nonne Deo subjecta erit anima mea? Ab ipso

(1) Job. 9. — (2) Prov. 21. — (3) Matth. 10. — (4) 1. Joan. 4. — (5) Matth. 22. — (6) 1. Joan. 5. — (7) Gal. 5. — (8) Matth. 2. — (9) Luc. 22. — (10) Prov. 23. — (11) Joan. 4. — (12) Jer. 2. — (13) II. Par. 16. — (14) II. Macc. 9. — (15) Act. 5.

enim salutare meum (1); * nam et ipse Deus meus, et salutaris meus, susceptor meus, non movebor amplius.

Possunt etiam huc referri primæ considerationes et affectiones, quæ habentur in tertio puncto sequentis Meditationis.

II. MEDITATIO.

DE ATROCITATE PECCATI MORTALIS CONSIDERATI UT EST CONTEMPTUS DEI.

I. PUNCTUM.

De causa tam horrendi contemptus. --- Hujus contemptus unica causa est, aversio a Deo et conversio ad creaturam; --- nihil vero quidquam ex parte Dei. --- Qui anteponit creaturam Deo, --- anteponit aquæ vivæ aquam turbidam, --- veritati mendacium, --- nihilum omni bono, --- puræ lætitiæ turpem tristitiam.

EXPOSTULATIO DEI CUM PECCATORE.

* Obstupescite cœli super hoc, et portæ ejus desolamini vehementer (2). * Duo enim mala fecit populus meus : me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.

* Quid invenerunt in me iniquitatis, quia elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem,

(1) Psal. 61. — (2) Jer. 2.

et vani facti sunt? * Et non dixerunt : Ubi est Dominus.

* Populo meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Responde mihi (1). * Cui comparastis me, et adæquastis, et comparastis me (2)?

Cui comparastis me? me fontem aquæ vivæ, * aquæ salientis in vitam æternam. Populo meus, quid feci tibi (3)? * Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? et quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis (4)? * Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum : qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum (5).

* Dereliquisti Dominum Deum tuum (6).

* Adversum dominatorem cœli elevatus es (7). * Et hæc est causa rebellionis adversus eum (8).

Cui comparastis me * fontem sapientiæ (9)? * Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium (10)? * Usquequo parvuli diligitis infantiam, et stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient, et imprudentes odibunt sapientiam (11)? * Dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem (12)? * fuerunt rebelles lumini (13) : * adversus Dominum rebellaverunt. Et hæc est causa rebellionis adversus eum (14).

(1) Mich. 6. — (2) Isai. 46. — (3) Joan. 4. — (4) Jer. 2. — (5) Joan. 4. — (6) Jer. 2. — (7) Dan. 5. — (8) III. Reg. 11. — (9) Bar. 3. — (10) Ps. 4. — (11) Prov. 1. — (12) Joan. 3. — (13) Job. 24. — (14) Num. 26.

Cui comparastis me? * omne bonum (1)? * Mecum sunt divitiæ, et gloria, opes superbæ, et justitia (2).

Cui comparastis me? * Qui lætamini in nihilo (3).

* Vani filii hominum (4) : * elongaverunt a me (5); * abierunt alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam (6); * iste et pro buccella panis deserit veritatem (7). * Et violabant me propter pugillum hordei, et fragmen panis (8); * et non dixerunt: Ubi est Dominus (9)?

* Et hæc est causa rebellionis adversus eum. * Dormierunt somnum suum: et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis (10).

Cui comparastis me? * Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum (11); * ut gaudium vestrum sit plenum (12) : * gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Cui comparastis me? * Quem ergo fructum habuistis in illis in quibus nunc erubescitis (13)? * Abalienati sunt in confusionem, et facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt (14): * abierunt post pravitatem cordis sui (15), servientes desideriis et voluptatibus variis (16). * Noluerunt obedire Domino Deo suo (17).

Et hæc est causa rebellionis adversus eum.

(1) Exod. 33. — (2) Prov. 8. — (3) Amos. 6. — (4) Ps. 61. — (5) Jer. 2. — (6) Matth. 22. — (7) Prov. 28. — (8) Ezech. 13. — (9) Jer. 2. — (10) Ps. 75. — (11) Prov. 8. — (12) Joan. 16. — (13) Rom. 6. — (14) Osee. 9. — (15) Jer. 9. — (16) Tit. 3. — (17) IV. Reg. 18.

Obstupescite cœli super hoc, et portæ ejus desolamini vehementer.

HUMILIS RESPONSIO PECCATORIS AD HANC EXPOSTULATIONEM DEI.

Agnoscit iniquitatem suam, qua nihilum comparavit et anteposuit Deo : — et illi dat gloriam confitendo nihil posse ei comparari.

* Ingemisco ego : * contritus sum, et contristatus, stupor obtinuit me (1). * Ad me ipsum anima mea conturbata est (2) : * quoniam adversus Dominum rebellis fuit (3).

* *Pro nihilo.* * Mendaces filii hominum in stateris (4).

* Domine, quis similis tibi (5) ? * Sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis : quia injusta cogitatio eorum (6).

Injusta ; * Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt (7), * et servierunt creaturæ potius quam Creatori, pro nihilo.

Pro nihilo. * Quid tale facere potui (8)?

Pro nihilo. * Domine Deus tu cœpisti ostendere servo tuo magnitudinem tuam, manumque fortissimam; neque enim est alius Deus, vel in cœlo, vel in terra, qui possit facere opera tua, et comparari fortitudini tuæ (9).

(1) Thr. 1. Jer. 8. — (2) Ps. 41. — (3) Num. 15. — (4) Ps. 105. Ps. 61. — (5) Ps. 34. — (6) Ps. 118. — (7) Rom. 1. — (8) Judic. 8. — (9) Deut. 3.

* Magnus Dominus et laudabilis nimis : et magnitudinis ejus non est finis (1).

* Major est Deus corde nostro (2), * et omnia quæ desiderantur huic non valent comparari (3); * Infinitus enim thesaurus est hominibus (4).

II. PUNCTUM.

DE POENA PECCATORIS DEUM CONTEMNENTIS.

Pœna quam intentat Deus peccatori, non minor est, quam derelinqui ab eo.

* Dereliquisti Dominum Deum tuum (5): * arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te; scito, et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem mei apud te, dicit Dominus.

* Qui contemnunt me, erunt ignobiles (6). * Væ qui spernis, nonne et ipse sperneris? Cum fatigatus desieris contemnere, contemneris (7).

* Dicebant: Recede a nobis (8). * Sed et væ eis, cum recessero ab eis (9). Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis ne exaudiat (10). * Vos non populus meus, et ego non ero vester (11). Vos non populus meus, et sine Deo in hoc mundo (12).

(1) Ps. 144. — (2) 1. Joan. 3. — (3) Prov. 3. — (4) Sap. 7. — (5) Jer. 2. — (6) 1. Reg. 2. — (7) Isai. 33. — (8) Job. 22. — (9) Osee. 9. — (10) Isai. 59. — (11) Osee. 1. — (12) Ephe. 2.

III. PUNCTUM.

PRIMÆ CONSIDERATIONES, ET AFFECTIONES, DE TIMORE ET FUGA PECCATI.

Variæ considerationes et affecctiones huic meditationi adsciscendæ pro vario meditantis statu. — Pro justo, aut pro peccatore jam justificato, ad imitationem Jesu Siracidæ, — Tobiæ, — principum Ruben, Gad, etc., — Joseph in tentatione, — Eleazari, — Susannæ.

* Quasi a facie colubri fuge peccata (1).

* Pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene (2).

* Absit a nobis hoc scelus, ut recedamus a Domino, et ejus vestigia relinquamus (3):

* Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua (4): * nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es: quomodo ergo possum hoc malum facere et peccare in Deum meum? * Hujuscemodi verbis per singulos dies recusabat stuprum.

* Ille gloriosissimam mortem magis, quam odibilem vitam complectens, voluntarie præibat ad supplicium (5). Destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem. * Rogabant ut simularetur manducasse, sicut rex imperaverat, de sacrificii

(1) Eccle. 21. — (2) Tob. 4. — (3) Jos. 22. — (4) Gen. 39. — (5) II. Mac. 6.

carnibus. * At ille respondit cito, dicens, se præmitti velle in infernum; * nam, etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam. * Quamobrem fortiter vita excedendo, senectute quidem dignus apparebo. * Adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo, ac fortiter pro gravissimis et sanctissimis legibus honesta morte perfungar. * Sed, cum plagis percuteretur, ingemuit, et dixit : Domine, qui habes sanctam scientiam, manifeste tu scis, quia, cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores : secundum animam vero propter timorem tuum libenter hæc patior.

* Angustiæ sunt mihi undique : si enim hoc egero, mors mihi est : si autem non egero, non effugiam manus vestras (1). * Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.

SECUNDÆ CONSIDERATIONES ET AFFECTIONES.

Pro peccatore metuente ne derelinquatur a Deo. — Prima hujus peccatoris cautio, justitiæ Dei timor, — quo moderatur nimiam suam fiduciam in ejus misericordiam. — Secunda cautio, oratio, qua supplex rogat Deum ne suas subtrahat gratias.

* Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini Creatoris tui (2). * Vidit Dominus et ad

(1) Dan. 13. — (2) Deut. 32.

iracundiam concitatus est (1). * Propterea Deus destruet te in finem ; evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo ; et radicem tuam de terra viventium.

* Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui (2), * et ne dixeris : Quomodo potui ? aut quis me subjiciet propter facta mea ? Deus enim vindicans vindicabit.

* Ne dixeris : Peccavi, et quid mihi accidit triste ? Altissimus enim est patiens redditor.

* De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum ; * et ne dicas : Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur ; * misericordia enim et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius.

* Non tardes converti ad Dominum et ne differas de die in diem ; * subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te.

* Convertere ad Dominum, et relinque peccata tua : * precare ante faciem Domini.

* Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me (3) : * ne avertas faciem tuam a me : ne declines in ira a servo tuo ; adjutor meus esto : ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus (4).

* Ne derelinquas me Domine Deus meus : ne discesseris a me (5) : * et ne adincrescant igno-

(1) Ps. 51. — (2) Eccle. 5. — (3) Ps. 37. — (4) Ps. 26. — (5) Ps. 37.

rantiæ meæ, et multiplicentur delicta mea, et peccata mea abundent (1).

* Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum (2): * dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo (3).

* Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo ejus (4). * Tu autem, Domine, susceptor meus es.

* Domine spes mea a juventute mea (5): * ne projicias me in tempore senectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me; * quia dixerunt inimici mei mihi: et qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum, dicentes: Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum: quia non est qui eripiat.

* Deus, ne elongeris a me: Deus meus in auxilium meum respice. * Confundantur et deficiant detrahentes animæ meæ: operiantur confusione et pudore qui quærunt mala mihi.

* Deus, docuisti me a juventute mea: et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua. * Deus, ne derelinquas me.

(1) Eccle. 23. — (2) Ps. 51. (3) Deut. 32. — (4) Ps. 3. — (5) Ps. 70.

Pro peccatore metuente ne jam sit a Deo derelictus. --- Peccator miserum statum suum exponit Deo, --- quem Deus illi imputat. --- Ingemiscit super miseria sua --- qua Deus illum acrius stimulat. --- Postulat a Deo causam suæ derelictionis; --- Deus vero ipsam illi declarat, --- ejusque naturam explicat. --- Et mala consequentia : --- Tamen ut peccata possit vitare desiderat Deus : --- Vitari autem posse negat sine sua ope. --- Peccator hanc gratiam ferventi oratione a Deo petit, --- eamque sibi mereri, velle se profitetur, --- licet incertus an sit illam impetraturus.

COLLOQUIUM PECCATORIS CUM DEO.

* Peccator. Salvum me fac Deus : quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam (1). * Infixus sum in limo profundi : et non est substantia; veni in altitudinem maris : et tempestas demersit me : * dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus (2) ?

* Deus. Numquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum eo tempore, quo ducebat te per viam (3) ? * et nunc quid tibi vis ?

* Peccator. Quare oblitus es mei (4) ?* Dum dicunt mihi per singulos dies : Ubi est Deus tuus ? * Quare tristis es anima mea ! et quare conturbas me ?

* Deus. Arguet te malitia tua, et aversio tua in-

(1) Ps. 68. — (2) Ps. 41. — (3) Jer. 2. — (4) Ps. 41.

crepabit te. Scito, et vide, quia malum et amarum est reliquisse Dominum Deum tuum (1).

* Peccator. Exurge, quare obdormis, Domine? Exurge, et ne repellas in finem (2). * Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiæ nostræ, et tribulationis nostræ? * Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum (3)?

* Dereliquit me virtus mea: et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum (4); * cor meum dereliquit me (5); * dereliquit me Dominus, et Dominus oblitus est mei (6); * dedit me Dominus in manu de qua non potero surgere (7). Deus, Deus meus respice in me: quare me dereliquisti (8)?

* Deus. Quid vultis mecum judicio contendere? omnes dereliquistis me (9); * contempsistis imperium Domini Dei vestri, et non credidistis ei, neque vocem ejus audire voluistis (10): * sed semper fuistis rebelles.

* Videte contemptores, et admiramini (11).

* Vos non populus meus, et ego non ero vester (12).

Vos non populus meus. * Facti estis quasi torris raptus ab incendio (13): * hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo (14).

Vos non populus meus. * Ex patre Diabolo es-

(1) Jer. 2. — (2) Ps. 43. — (3) Job. 13. — (4) Ps. 37. — (5) Ps. 39. — (6) Isai. 49. — (7) Thr. 1. — (8) Ps. 21. — (9) Jer. 2. — (10) Deut. 9. — (11) — Act. 13. — (13) Osee. 1. — (13) Amos. 4. — (14) Ephes. 2.

tis (1), * generatio perversa, infideles filii (2), servi inutiles (3) * gens absque consilio et sine prudentia, et sine Deo in hoc mundo (4).

Et ego non ero vester; * quia vocavi, et renuistis : extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret (5); * despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. * Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit : * cùm irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit : quando venerit super vos tribulatio, et angustia : * tunc invocabunt me, et ego non exaudiam.

Et ego non ero vester.

* Abscondam faciem meam ab eis, et considerabo novissima eorum (6). * Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima. * Congregabo super eos mala, et sagittas meas implebo in eis.

* Utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent. * Mea est ultio, et ego retribuam in tempore, ut labatur pes eorum : juxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora. * Ubi sunt Dii eorum, in quibus habebant fiduciam? * Surgant, et opitulentur vobis, et in necessitate vos protegant. * Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me :

* Ego occidam, et ego vivere faciam : percu-

(1) Joan. 8. — (2) Deut. 32. — (3) Lucæ 17. — (4) Deut. 32. — (5) Prov. 1. — (6) Deut. 32.

tiam, et ego sanabo; et non est qui de manu mea possit eruere.

Peccator. Ego occidam, et ego vivere faciam.

* Etiam Domine (1).

* Oblivioni datus sum, tanquam mortuus a corde (2). * Miserere mei, et resuscita me (3).

Percutiam, et ego sanabo.

Etiam Domine.

* Percussus sum (4): quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam (5). Sana me, Domine, et sanabor: salvum me fac, et salvus ero (6).

* Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me (7). * Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, * et anima mea turbata est valde: sed tu, Domine, usquequo? * Numquid irasceris in perpetuum (8).

* Usquequo non parcis mihi (9)? Deus Judex justus, fortis, et patiens: numquid irascitur per singulos dies (10)?

* Domine, quando respicies (11)?

* Domine ad adjuvandum me festina (12): nescio enim quamdiu subsistam, et si post modicum tollat me factor meus. Festina (13). * Ecce nunc in

(1) Matth. 15. — (2) Ps. 30. — (3) Ps. 40. — (4) Ps. 101. — (5) Ps. 37. — (6) Jer. 17. — (7) Ps. 6. — (8) Jer. 3. — (9) Job. 7. — (10) Ps. 56. — (11) Ps. 34. — (12) Ps. 69. — (13) Job. 32.

pulvere dormiam, et si mane me quæsieris non subsistam * Accelera ut eruas me (1).

Festina; * quia repleta est malis anima mea : et vita mea inferno appropinquavit (2) : * Domine ne moreris ; vita mea inferno appropinquavit (3).

* Deus Judex justus, fortis, et patiens (4).

* Sed quia patiens Dominus est, in hoc ipso pœniteamus, et indulgentiam ejus fusis lacrymis postulemus (5) : non enim quasi homo, sic Deus comminabitur, neque sicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur. * Et ideo humiliemus illi animas nostras, et in spiritu constituti humiliato, servientes illi, * dicamus flentes Domino, ut secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum misericordiam suam.

* Expectemus humiles consolationem ejus. * Quis scit si convertatur, et ignoscat Deus : et revertatur a furore iræ suæ, et non peribimus (6)? Expectemus a Domino misericordiam (7); * forsitan enim indignationem suam abscindet. * Benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia (8). * Quis scit si convertatur, et ignoscat, et relinquat post se benedictionem.

(1) Ps. 30. — (2) Ps. 87.— (3) Ps. 69.— (4) Ps. 7. — (5) Judith. 8. — (6) Jon. 3. — (7) Judith. 7. — (8) Joel. 2.

III. MEDITATIO.

DE MULTITUDINE PECCATORUM. AD PRÆPARATIONEM CONFESSIONIS GENERALIS.

I. PUNCTUM.

Examen conscientiæ ad confessionem. — Peccator sistit se præsentem Deo : — sentit difficultatem hujus examinis : — ad quod agnoscit necessitatem supernæ opis. — Illam petit enixe. — Tum ad se reversus, excutit conscientiam per singula peccata. — Quod alio tempore diligentius præstandum erit pro necessitate cujusque.

* Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum (1) ; * levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos.

* Delicta quis intelligit (2) ? *cogitationes meæ variæ succedunt sibi, et mens in diversa rapitur (3), * testimonium reddente conscientia, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus (4):*circumdederunt me mala, quorum non est numerus : comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem (5) : meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum : et non potui ut viderem (6).

(1) Thr. 3. — (2) Ps. 18. — (3) Job. 20. — (4) Rom. 2. — (5) Ps. 39. — (6) Ps. 76.

* Pravum est cor omnium, et inscrutabile : quis cognoscet illud (1)? * Dominus scrutans cor; * vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti : et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis (2) : * et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus : omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo.

* Deus, tu scis insipientiam meam : et delicta mea a te non sunt abscondita (3); * tu quidem gressus meos dinumerasti (4) : * signasti quasi in sacculo delicta mea.

* Deus meus illumina tenebras meas (5) : * illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte (6). * Responde mihi, * quantas habeo iniquitates et peccata, scelera mea et delicta ostende mihi (7).

* Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum. Domine, vim patior, responde pro me (8). * Quid dicam, aut quid respondebit mihi? Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. * Corripies me et vivificabis me.

Responde mihi, quantas habeo iniquitates et peccata, scelera mea et delicta ostende mihi.

Quid dicam, aut quid respondebit mihi? * Interroga teipsum (9).

(1) Jer. 17. — (2) Heb. 4. — (3) Ps. 68. — (4) Job. 14. — (5) Ps. 17. — (6) Ps. 12. — (7) Job. 13. — (8) Isai. 38. — (9) Eccle. 18.

* Tu nosti omne malum, cujus tibi conscium est cor tuum (1).

* Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia (2), * furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia.

* Furtum et fictio, corruptio et infidelitas, turbatio et perjurium, tumultus bonorum (3), * Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio mœchiæ et impudicitiæ,

* Veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, (4) * invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia.

Tu nosti omne malum, cujus tibi conscium est cor tuum : * cor exercitatum avaritia (5) : * cor incredulum (6) : * cor feræ (7).

Tu nosti omne malum, * Oculos plenos adulterii, et incessabilis delicti (8), * desideria carnis (9), * passiones ignominiæ, * reprobum sensum (10).

* Scit conscientia tua, quia et tu crebro maledixisti aliis (11). * Os tuum abundavit malitia : et lingua tua concinnabat dolos (12), * sedens ad-

(1) III. Reg. 2. — (2) Marc. 7. — (3) Sap. 14. — (4) Gal. 5. — (5) II. Pet. 2. — (6) Jer. 5. — (7) Dan. 4. — (8) II. Pet. 2. — (9) Gal. 5. — (10) Rom. 1. — (11) Eccle. 7. — (12) Ps. 49.

versus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum.

Tu nosti omne malum, cujus tibi conscium est cor tuum : * Omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur (1).

II. PUNCTUM.

Variæ dispositiones ad confessionem.

PRIMA DISPOSITIO. — Humilis agnitio peccatorum.

* Dicit Dominus (2) : * Hæc est via tua ab adolescentia tua.

* Apparuit ignominia tua (3) : * completa est iniquitas tua : discooperuit peccata tua (4).

* Iniquitatem meam ego cognosco (5) : * Peccavi Domino (6) :

* Pater, peccavi in cœlum, et coram te (7) : * Tibi soli peccavi (8) : * Peccavi nimis (9) :

* Homo peccator sum, Domine (10), * ab infantia (11) * assiduus in malis (12) : * vir sanguinum, et vir Belial (13), animalis homo (14), * comparatus jumentis insipientibus, et similis factus illis (15).

(1) Eccle. 2. — (2) Jer. 22. — (3) Jer. 13. — (4) Thr. 4. — (5) Ps. 50. — (6) II. Reg. 12. — (7) Luc. 15. — (8) Ps. 50. — (9) I. Par. 21. — (10) Luc. 5. — (11) Marc. 9. — (12) Eccle. 12. — (13) II. Reg. 16. — (14) I. Cor. 11. — (15) Ps. 48.

SECUNDA DISPOSITIO. — Salutaris peccatorum pudor.

* Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum ? Quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis (1) ?

* Tædet animam meam vitæ meæ. * Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meæ cooperuit me (3).

* Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ : non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum (3) : * quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me.

* Deus meus confundor et erubesco levare faciem meam ad te : quoniam delicta nostra creverunt usque ad cœlum (4). * Tibi Domine justitia : nobis autem confusio faciei (5); Domine nobis confusio : * tibi autem Domino Deo nostro misericordia et propitiatio.

TERTIA DISPOSITIO. — Certa voluntas rite confitendi peccata.

Peccavi, quid faciam ? * Qui abscondit scelera sua, non dirigetur : qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur (7).

* Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam (7).

(1) Job. 7. — (2) Ps. 43. — (3) Ps. 37. — (4) 1. Esd. 9. — (5) Dan. 9. — (6) Prov. 28. — (7) Ps. 31.

* Pro anima tua non confundaris dicere verum (1); est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam. * Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (2). * Si confiteamur peccata nostra; fidelis est, et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate (3).

QUARTA DISPOSITIO. — Integra pœnitentia peccatorum ex omni parte.

Peccavi, * idcirco ipse me reprehendo (4). * insipienter egi (5).

Peccavi, * et idcirco tæduit me vitæ meæ (6): unde cessavi, renuntiavitque cor meum.

Peccavi, * Contritum est cor meum in medio mei, contremuerunt omnia ossa mea : factus sum quasi vir ebrius, et quasi homo madidus a vino a facie Domini (7).

Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum? * Cor contritum et humiliatum Deus non despicies (8). * Et nunc sequimur te in toto corde, et timemus te, et quærimus faciem tuam (9).

Peccavi, * Redde tu nobis quidquid tibi placet: tantum tunc libera nos (10). * Ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere (11), * in

(1) Eccle. 4. — (2) Jac. 4. — (3) 1. Joan. 1. — (4) Job. 42. — (5) 1. Par. 21. — (6) Eccle. 2. — (7) Jer. 23. — (8) Ps. 50. — (9) Dan. 3. — (10) Judic. 10. — (11) Job. 42.

cilicio (1), in jejunio et in fletu (2). * Castigo corpus meum, et in servitutem redigo (3).

* Et dixi : Nunc cœpi : Hæc mutatio dexteræ Excelsi.

QUINTA DISPOSITIO. — Fervens deprecatio pro peccatis.

Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum?

* Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ (4) : * memoria memor ero, et tabescet in me anima mea (5). * Tu autem Deus noster suavis et verus es, patiens, et in misericordia disponens omnia (6). * Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ : quia pauperes facti sumus nimis (7). * Adjuva nos Deus salutaris noster : et propter gloriam nominis tui, Domine libera nos : et propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum.

* Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt (8). * Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris. Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam, Domine.

Peccavi. * Quantas habeo iniquitates (9)! * Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei (10). * Tu autem, Domine, miserere mei (11). * Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam : et

(1) Matth. 2. — (2) Joel. 2. — (3) 1. Cor. 9. — (4) Isai. 38. — (5) Thr. 3. — (6) Sap. 15. — (7) Ps. 78. — (8) Ps. 24. — (9) Job. 13. — (10) Ps. 39. — (11) Ps. 40.

secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam (1).

Peccavi, quid faciam? * Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem : quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei (2). * Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas a me (3).

Peccavi, quid faciam tibi? * Et quid facies magno nomini tuo (4)? * Averte faciem tuam a peccatis meis : et omnes iniquitates meas dele (5). * Ne avertas faciem tuam a me (6). * Respice in me, et miserere mei : quia unicus et pauper sum ego (7). * Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt : de necessitatibus meis erue me. * Vide humilitatem meam, et laborem meum : et dimitte universa delicta mea. * Respice inimicos meos quoniam multiplicati sunt, et odio iniquo oderunt me. * Disperde illos (8). * Libera me, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me (9). * Protector noster aspice Deus : et respice in faciem Christi tui (10), * qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me (11).

Peccavi, quid faciam tibi? * Cur non tollis peccatum meum, et quare non aufers iniquitatem meam (12)? * Obsecro, aufer iniquitatem servi tui (13) : * et spiritum sanctum tuum ne auferas a me (14).

(1) Ps. 50. — (2) Ps. 6. — (3) Ps. 39. — (4) Josue. 7. — (5) Ps. 50. — (6) Ps. 16. — (7) Ps. 24. — (8) Ps. 53. — (9) Job. 17. — (10) Ps. 83. — (11) Gal. 2. — (12) Job. 7. — (13) 1. Par. 21. — (14) Ps. 50.

Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum?

O custos hominum, * custodi animam meam (1).

O custos hominum, * a resistentibus dexteræ tuæ custodi me, ut pupillam oculi (2).

O custos hominum, * da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam : et custodiam illam in toto corde meo (3).

O custos hominum, * custodi in æternum hanc voluntatem cordis, et semper in venerationem tui, mens ista permaneat (4).

(1) Ps. 85. — (2) Ps. 16. — (3) Ps. 118. — (4) 1. Par. 29.

QUATUOR

MEDITATIONES

DE MORTE.

PRIMA MEDITATIO.

DE PRIMA MORTIS CERTITUDINE.

I. PUNCTUM.

Certum est te esse moriturum. — Tria sunt hujus veritatis principia. — Primum. Ratio naturalis quæ probat, — id omne quod est corruptioni obnoxium, corrumpendum esse. — Secundum. Fides quæ docet Deum sententiam mortis in omnes homines tulisse. — Tertium. Experientia evidens quæ habetur de morte omnium hominum. — Ex his tribus principiis homo certissimam animo repræsentat mortem.

Non est immortalis filius hominis (1): * quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet (2). Ipsi in nobismetipsis responsum mortis habemus (3); * corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam (4).

(1) Eccle. 17. — (2) Ps. 102. — (3) II. Cor. 1. — (4) Sap. 9.

*Omne corruptibile in fine deficiet (1). * Mons cadens defluit, et saxum transfertur de loco suo. (2) * Lapides excavant aquæ, et alluvione paulatim terra consumitur. * Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur? * Mors necesse est intercedat (3), * terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur (4).

* Omnis caro sicut fœnum veterascet, et sicut folium fructificans in arbore viridi (5). * Alia generantur, et alia dejiciuntur : sic generatio carnis et sanguinis, alia finitur, et alia nascitur. * Omne opus corruptibile in fine deficiet. * Omnia quæ de terra sunt, in terram convertentur. * Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cœlo (6). * Tempus nascendi, et tempus moriendi.

* Statutum est hominibus semel mori (7)

* Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum (8) : invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum.

* Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum; * creavit enim, ut essent omnia : et sanabiles fecit nationes orbis terrarum : et non est in illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terra; * justitia enim per-

(1) Eccle. 14. — (2) Job. 14. — (3) Heb. 9. — (4) II. Cor. 15. — (5) Eccle. 14. — (6) Eccle. 3. — (7) Hebr. 9 — (8) Sap. 2.

petua est, et immortalis. * Impii autem manibus et verbis accersierunt illam, et æstimantes illam amicam, defluxerunt, et sponsiones posuerunt ad illam : quoniam digni qui sint ex parte illius.

* Dixit Dominus Deus (1) Addæ : Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, * in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es : quia pulvis es, et in pulverem reverteris.

* Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt (2).

Statutum est hominibus semel mori: Dixit Dominus Deus.

* Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem (3)? * Nemo est qui semper vivat, et qui hujus rei habeat fiduciam (4). * Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis. * Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, et similis exitus (5).

* Sum quidem et ego mortalis homo, similis omnibus. * Domine pater, et dominator vitæ meæ (6), * scio quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi (7).

Scio ego mortalis homo similis omnibus, * qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum quod comeditur a tinea.

(1) Gen. 3. — (2) Rom. 5. — (3) Ps. 88. — (4) Eccle 9. — (5) Sap. 7. — (6) Eccle. 23. — (7) Job. 30.

Scio : * omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur (1).

Scio : * quotidie morior (2).

Scio : * ecce enim breves anni transeunt, et semitam, per quam non revertar, ambulo (3). * Spiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, et solum mihi superest sepulchrum. * Recedet a me fortitudo mea, et deficiam, eroque sicut cæteri homines (4).

Eroque sicut cæteri homines, * stercus et vermis (5). * Putredini dixi: Pater meus es, mater mea, et soror mea, vermibus (6).

Eroque sicut cæteri homines, * quorum non est memoria (7).

Eroque sicut cæteri homines, * et amplius non ero (8).

Scio : * Ipsa natura docet (9) : * Fide intelligimus (10) : * Experimento didici (11).

(1) II. Reg. 14. — (2) I. Cor. 15. — (3) Job. 16. — (4) Judic. 16. — (5) I. Mac. 2. — (6) Job. 17. — (7) Eccle. 44. — (8) Ps. 38. — (9) I. Cor. 11. — (10) Heb. 11. — (11) Gen. 30.

II. PUNCTUM.

Pro vario meditantium statu. — Concludit ex mortis vicinitate, quam sibi non debet dissimulare, — renuntiandum esse omnibus negotiis hujus vitæ, ex qua nihil sibi supersit præter sepulchrum, — et spem in Deum, cui deinceps vult vivere, — parando se ad mortem cum fiducia divinæ misericordiæ.

VARIÆ CONCLUSIONES ELICIENDÆ EX HAC VERITATE.

* Deficiet omnis caro simul, et homo in cinerem revertetur (1); * Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur.

CONCLUDIT SENEX, QUI PARUM HACTENUS COGITAVIT DE MORTE.

Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur : * Dominus prope est (2).

Adhuc modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, et non tardabit (3) : * prope est in januis (4).

* Non ætati nostræ dignum est fingere (5). * Rugæ meæ testimonium dicunt contra me (6); * cutis mea aruit, et contracta est; * caligavit ab indignatione oculus meus, et membra mea quasi in nihilum redacta sunt, * lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum; ap-

(1) Job. 34. — (32) Philip. 4. — (3) Heb. 10. — (4) Matth. 24. — (5) II. Mac. 6. — (6) Job. 16.

propinquavit finis noster, completi sunt dies nostri, quia venit finis noster (1). * Uno tantum, (ut ita dicam) gradu, ego morsque dividimur (2).

* Unde cessavi, renuntiavitque cor meum ultra laborare sub sole (3).

* Solum mihi superest sepulchrum (4). * Quid habet amplius homo de labore suo (5)?

* Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur, et consumpti sunt absque ulla spe. (6).

* Et nunc quæ est expectatio mea? Nonne Dominus? et substantia mea apud te est (7). * Deus in nomine tuo salvum me fac (8).

Quæsivi residuum annorum meorum (9), ut Deo vivam (10).

*Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea (11). * Vocabis me, et ego respondebo tibi : operi manuum tuarum porriges dexteram. * Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.

(1) Thr. 4. — (20) 1. Reg. 2. — (3) Eccle. 2. — (4) Job. 17. — (5) Eccle. 3. — (6) Job. 7. — (7) Ps. 38. — — (8) Ps. 53. — (9) Isai. 38. — (10) Gal. 2. — (11) Job. 14.

CONCLUDIT SENEX, QUI CONSENUIT IN PECCATIS SUIS.

Toto cogitat animo de salutis æternæ periculo, in quo versatur — et de stultitia sua. — Agnoscit necessitatem pœnitentiæ ante mortem, — eamque promittit promptam.

Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur (1) : Hæc est sors tua (2). * Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. * Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, et cum eo in pulvere dormient (3). * Puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit (4). * Cave tibi (5); * complebuntur universa hæc (6).

Audi quod dicitur : * Cor durum habebit male in novissimo : et qui amat periculum, in illo peribit. (7)

Audi quod dicitur : * Tres species odivit anima mea, et aggravor valde animæ illorum, * pauperem superbum, divitem mendacem, senem fatuum et insensatum.

Audi, * inveterate dierum malorum (8). * Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti, cujus erunt (9)?

Si habes ergo intellectum, * convertere ad Do-

(1) Isai. 57. — (2) Prov. 22. — (3) Job. 20. — (4) Isai. 65. — (5) Eccle. 13. — (6) Dan. 12. — (7) Eccle. 3. — (8) Dan. 13. — (9) Luc. 7.

minum, et relinque peccata tua (1). * In partes vade sæculi sancti, cum vivis et dantibus confessionem Deo. * Non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil, perit confessio. * Confiteberis vivens, vivus et sanus confiteberis, et laudabis Deum, et gloriaberis in miserationibus illius.

* Ergo dum tempus habemus, operemur bonum (2) : * et vivat anima mea (3). * Ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis (4). * Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam.

CONCLUDIT HOMO, QUI TIMET MORTEM, EJUSQUE MEMORIAM FUGIT.

Damnat in seipso timorem mortis, tum quia mors est communis omnibus, — tum quia privat tantum eos vita brevi et misera. — Agnoscit, et ipse sibi commendat utilitatem quam habet frequens mortis memoria, — ad contemnendum mundi — divitias, — voluptates, — et gloriam; — ad vitandum peccatum, — ad disponenda negotia, — ad exercenda opera charitatis et justitiæ.

Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur. * Noli metuere judicium mortis. Memento quæ ante te fuerunt, et quæ superventura sunt tibi, hoc judicium a Domino omni carni (5). * Et quid

(1) Eccle. 17. --- (2) Gal. 11. --- (3) Gen. 12. --- (4) 1. Petr, 4. --- (5) Eccle. 41.

superveniet tibi in beneplacito Altissimi ? sive decem, sive centum, sive mille anni; * non est enim in inferno accusatio vitæ.

Noli timere judicium mortis. * Anni nostri sicut aranea meditabuntur (1). * Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni; si autem in potentatibus octoginta anni : et amplius eorum, labor et dolor.

* Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos (2)? * Quærat a mortuis veritatem (3). * Ipse ad sepulchra ducetur, et in congerie mortuorum vigilabit (4).

Audi quod dicitur, * Defunctus adhuc loquitur (5) : * Memor esto judicii mei : sic enim erit et tuum; mihi heri, et tibi hodie. Si habes ergo intellectum (6), * memor esto quoniam mors non tardat.

*Audi quod dicitur. * En morior, quid mihi proderunt primogenita (7) ?

* Gustans, gustavi paululum mellis, et ecce ego morior (8).

* Si unus et stulti et meus occasus erit, quid mihi prodest quod majorem sapientiæ dedi operam (9) ?

Si habes ergo intellectum, * in omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis (10).

(1) Ps. 89. — (2) Ps. 33. — (3) Deut. 18. — (4) Job. 21. — (5) Heb. 11. — (6) Eccle. 38. — (7) Gen. 25. — (8) 1. Reg. 14. — (9) Eccle. 2. — (10) Eccle. 7.

* Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives (1).

* Ante mortem benefac amico tuo, et secundum vires tuas exporrigens da pauperi (2). *Non defrauderis a die bono, et particula boni doni non te prætereat. * Nonne aliis relinques dolores et labores tuos in divisione sortis ? * Da, et accipe, et justifica animam tuam. * Ante obitum tuum operare justitiam : quoniam non est apud inferos invenire cibum. * Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas (3).

CONCLUDIT JUVENIS, QUI ETIAM EX HYPOTHESI DIUTURNÆ VITÆ, VIRTUTEM AMPLECTITUR.

Humanarum rerum vanitas, — ratio Deo reddenda de earum usu. — Impotentia senectutis ad serviendum Deo, sive propter hujus ætatis incommoda, — sive propter defectum bonorum habituum.

Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur.

* Dulce lumen et delectabile oculis videre solem (4). Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum : qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.

* Lætare juvenis in adolescentia tua, et in

(1) Isai. 38. — (2) Eccle. 14. — (3) Eccle. 9. — (4) Eccle. 11.

bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum : et scito quod pro omnibus his adducet te Dominus in judicium. * Aufer iram a corde tuo, et amove malitiam a carne tua. Adolescentia enim et voluptas vana sunt.

* Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquent anni, de quibus dicas : Non mihi placent.

* Antequam tenebrescat sol, et lumen, et luna, et stellæ, et revertantur nubes post pluviam.

* Quando commovebuntur custodes domus, et nutabunt viri fortissimi, et otiosæ erunt molentes in minuto numero, et tenebrescent videntes per foramina.

* Et claudent ostia in platea, in humilitate vocis molentis, et consurgent ad vocem volucris; et obsurdescent omnes filiæ carminis.

* Excelsa quoque timebunt, et formidabunt, in via, florebit amygdalus, impinguabitur locusta, et dissipabitur capparis : quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, et circuibunt in platea plangentes.

* Antequam rumpatur funiculus argenteus, et recurrat vitta aurea, et conteratur hydria super fontem, et confringatur rota super cisternam.

* Et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.

Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ.

* Quæ in juventute tua non congregasti, quomodo in senectute tua invenies (1).

II. MEDITATIO.

DE SECUNDA MORTIS CERTITUDINE.

I. PUNCTUM.

Certum est, te semel tantum moriturum esse. — Cum homo mortuus non reviviscat, neque bis moritur.

* Putasne mortuus homo rursum vivat (2)? * Cum exierit spiritus, non revertetur (3).

* Sicut consumitur nubes, et pertransit : sic qui descenderit ad inferos, non ascendet (4). * Nec revertetur ultra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus ejus.

* Lignum habet spem : si præcisum fuerit, rursum virescit, et rami ejus pullulant. * Si senuerit in terra radix ejus, et in pulvere emortuus fuerit truncus illius, * ad odorem aquæ germinabit, et faciet comam quasi cum primum plantatum est. * Homo vero cum mortuus fuerit, et nudatus, atque consumptus, ubi quæso est?

* Quomodo si recedant aquæ de mari et fluvius vacuefactus arescat : sic homo cum dormie-

(1) Eccle. 25. — (2) Job. 14. — (3) Sap. 16. — (4) Job. 7.

rit, non resurget; donec atteratur cœlum, non evigilabit, nec consurget de somno suo. * Umbræ transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri : quoniam consignata est, et nemo revertitur (1). * Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit (2).

II. PUNCTUM.

Ejusdem veritatis ratio redditur. — Ratio est divinæ justitiæ lex, — a qua ut liberentur mortui, nihil debent expectare, — sive a Deo, sive a medicis, — sive a ministris ecclesiæ, — sive a se ipsis.

* Statutum est hominibus semel mori (3).

Semel; * ista est enim lex Adam (4) : * ista est lex hominis qui moritur (5).

* Magnus es, Domine, in æternum, et in omnia sæcula regnum tuum (6); * quoniam tu flagellas, et salvas : deducis ad inferos, et reducis.

* Numquid mortuis facies mirabilia (7) ?

Aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi ?

* Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, et veritatem tuam in perditione ?

* Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terra oblivionis ?

* Ipsi dicunt : Aruerunt ossa nostra, et periit spes nostra, et abscissi sumus (8).

(1) Sap. 2. — (2) Eccle. 11. — (3) Heb. 9. — (4) II. Reg. 7. — (5) Num. 19. — (6) Tob. 13. — (7) Ps. 87. — (8) Ezec. 37.

III. PUNCTUM.

Hujus veritatis consequentiæ. -- Prima consequentia, mortis peccatorum infelicitas. --- Qualem audivimus et vidimus in multis : --- et a qua nos sola potest liberare pœnitentia. --- Secunda consequentia, justorum mortis felicitas ; — ad quam sola vita christiana nos deducere potest.

Statutum est hominibus semel mori.

Semel; Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur : * Mors peccatorum pessima (1). * Veniat mors super illos : et descendant in infernum viventes (2).

* Cognoscetur Dominus judicia faciens (3).

* Quanta audivimus et cognovimus ea (4) ?

* In operibus manuum suarum comprehensus est peccator (5). * Ecce mortuus est in iniquitate sua (6).

*Mortuus est dives, et sepultus est in inferno (7).

* Occlusum est os ejus, et dissolutus est paralysi : nec ultra potuit loqui verbum, et mandare de domo sua (8), et mortuus est cum tormento magno.

* Servi ejus percusserunt eum, et mortuus est (9). * Occisa est gladio.

* Videntes quod nullus aperiret, tulerunt clavem : et aperientes invenerunt dominum suum in terra jacentem mortuum (10).

(1) Ps. 33. — (2) Ps. 54. — (3) Ps. 9. — (4) Ps. 77. — (5) Ps. 9. — (6) Ezec. 18. — (7) Luc. 16. — (8) I. Mac. 9. — (9) IV. Reg. 12. — (10) Judic. 3.

* Occisus est cum Madianitide (1).

* Mortuus est * in peccatis suis (2).

* Audivi frequenter talia (3).

Putasne mortuus homo rursum vivat? * Non est reversio (4). * Non mortui laudabunt te Domine : neque omnes qui descendunt in infernum (5). * Sed nos qui vivimus, benedicimus Domino, ex hoc nunc et usque in sæculum.

Benedicimus Domino. * Peccavimus, impie egimus, inique gessimus, Domine Deus noster, in omnibus justitiis tuis (6) : * avertatur ira tua a nobis. * Respice, Domine, de domo sancta tua in nos, et inclina aurem tuam, et exaudi nos. * Aperi oculos tuos, et vide : quia non mortui, qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est a visceribus suis, dabunt honorem et justificationem Domino ; * sed anima, quæ tristis est super magnitudine mali, et incedit curva, et infirma, et oculi deficientes, et anima esuriens dat tibi gloriam et justitiam Domino.

Statutum est hominibus semel mori.

Semel ; Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur : * Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos(7).

* Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus (8).

(1) Num. 25. — (2) III. Reg. 16. — (3) Job. 16. — (4) Sap. 2. — (5) Ps. 113. — (6) Bar. 2. — (7) Apoc. 14. — (8) Ps. 115.

* Quis det ut veniat petitio mea : et quod expecto, tribuat mihi Deus (1) ? * Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia (2).

* Confortare igitur, et esto robustus valde : ut custodias et facias omnem legem (3) ; * ut ambules in via bona : et calles justorum custodias (4);

* Quia pro anima res est (5).

Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus ;

Quia pro anima res est.

Statutum est hominibus semel mori; * Ergo dum tempus habemus, operemur bonum (6);

Quia pro anima res est.

* Abnegantes impietatem, et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo, * expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi (7);

Quia pro anima res est.

(1) Job. 6. — (2) Num. 23. — (3) Josue. 1. — (4) Prov. 2. — (5) 1. Mac. 12. — (6) Gal. 6. — (7) Tit. 2.

TERTIA MEDITATIO.

INCERTUM EST QUANDO SIS MORITURUS.

I. PUNCTUM.

Exponitur hæc veritas per colloquium hominis et Christi. — Homo ignorans tempus suæ mortis, anxietatem suam exponit Christo, animo quidem, ut videtur, pœnitendi et bene vivendi. — Christus homini declarat rationem hujus ignorantiæ, — necessitatem præparandi se vigilanter ad mortem, — felicitatem eorum qui sic vigilaverint, — illius autem qui secus egerit, infelicitatem. — Denique affirmat se venturum esse ad omnes, ut dominum qui venit quando vult, nec resistitur illi : — ad multos, ut furem, qui vult incautos spoliare, et perdere; — ad aliquos, ut sponsum, qui expectandus est cum fidelitate et amore. — Homo vigilantiam promittit, et petit.

Homo. * Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem, et deducis ad portas mortis et reducis (1), * breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est : constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt (2). * Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi (3). * Ecce mensurabiles posuisti dies meos : et substantia mea tanquam nihilum ante te.

(1) Sap. 16. — (2) Job. 14. — (3) Ps. 38.

* Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? Dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum (1) : antequam vadam, et non revertar ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine, * terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. * Exaudi orationem meam, Domine, et deprecationem meam : auribus percipe lacrymas meas. Ne sileas, quoniam advena ego sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei (2). * Remitte mihi, ut refrigerer priusquam abeam, et amplius non ero.

Christus. * Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate (3). De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater (4).

* Videte, vigilate, et orate : nescitis enim quando tempus sit; * sicut homo qui peregre profectus, reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem cujusque operis, et janitori præcepit ut vigilet. * Vigilate ergo (nescitis enim quando Dominus domus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane) : * ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes. * Quod autem vobis dico, omnibus dico : Vigilate. * Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam (5).

* Estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet (6). * Sint lumbi vestri præ-

(1) Job. 10. --- (2) Ps. 38. --- (3) Act. 1. --- (4) Marc. 13. — (5) Matth. 25. — (6) Luc. 12.

cincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris, * et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis : ut cum venerit, et pulsaverit, confestim aperiant ei. * Beati servi illi, quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes : amen dico vobis quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. * Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi.

* Si autem dixerit malus servus in corde suo : Moram facit dominus meus venire (1), * et cœperit percutere conservos suos, manducet autem et bibat cum ebriosis : * veniet Dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua ignorat. * Et dividet eum, patremque ejus ponet cum hypocritis, illic erit fletus et stridor dentium. * Vigilate ergo, quia nescitis qua hora dominus vester venturus sit. * Habeo claves mortis, et inferni (2); * aperiet, et non erit qui claudat : et claudet, et non erit qui aperiat (3).

* Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam (4). Ideo et vos estote parati, quia nescitis qua hora filius hominis venturus est. * Habeo claves mortis et inferni (5). Veniam ad te tanquam fur, et nescies qua hora veniam ad te. * Ecce venio sicut

(1) Matt. 24. — (2) Apoc. 1. — (3) Isai. 22. — (4) Matth. 24. — (5) Apoc. 1.

fur. Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus.

* Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso, et sponsæ (1). Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes : * sed quinquæ fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum. * Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt. * Media autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exite obviam ei. * Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. * Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.

Homo. * De mane vigilabo ad te (2). * Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea (3). * Vocabis me, et ego respondebo tibi : operi manuum tuarum porriges dexteram. * Fiat, fiat (4).

* Respice et exaudi me, Domine Deus meus. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte (5): nequando dicat inimicus meus : Prævalui adversus eum.

Vocabis me, et ego respondebo :

* Expectabo Deum salvatorem meum : audiet me Deus meus (6).

* Veni, Domine Jesu, expectabo Deum salvatorem meum.

(1) Matth. 25. — (2) Isai. 26. — (3) Job. 14. — (4) Ps. 88. — (5) Ps. 12. — (6) Mich. 7.

Veni, Domine Jesu (1), * secundum voluntatem tuam expectabo (2).

Vocabis me, et ego respondebo tibi : * Ecce sponsus venit (3).

Respondebo tibi : * Dominus lux mea (4).

* Consurgam, cum sedero in tenebris : Dominus lux mea.

Veni, Domine Jesu, * secundum voluntatem tuam fac mecum, et præcipe in pace recipi spiritum meum (5).

II. PUNCTUM.

Ex ignorantia temporis mortis, sibi fabricantur errorem impii, quo decepti moriuntur improviso. — In hac terribili ignorantia --- impii omnes se arbitrantur securos, quasi pactum fecerint cum morte : --- alii quidem vitam, quam sibi brevem fingunt, voluptatibus impendentes ; --- alii vero vitam, quam sibi longiorem promittunt, curis terrenis consumentes : --- unde concluditur, fideles Christianos qui filii sunt lucis, vigilare debere, ne improviso moriantur.

Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis (6). * Nescit homo finem suum ; sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo cum eis extemplo supervenerit.

(1) Apoc. 22. — (2) Tob 3. — (3) Matth. 25. — (4) Mich. 7. — (5) Tob. 3. — (6) Eccle. 8.

* Propter hoc audite verbum Domini viri illusores (1); * dixistis enim : Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos. * Idcirco hæc dicit Dominus Deus : * Delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit : flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem.

Audite verbum Domini, viri illusores : * dixistis enim : Exiguum et cum tædio est tempus vitæ nostræ (2) : * venite ergo, et fruamur bonis quæ sunt, et utamur creatura tanquam in juventute celeriter : * vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non prætereat nos flos temporis; * coronemus nos rosis, antequam marcescant : nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra ; * nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ : ubique relinquamus signa lætitiæ. Dixistis.

Idcirco hæc dicit Dominus : * Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes (3).

* Intelligite insipientes in populo, et stulti aliquando sapite (4). * Nisi conversi fueritis; gladium suum vibrabit : arcum suum tetendit, et paravit illum (5); * et in eo paravit vasa mortis.

Audite verbum Domini, viri illusores. * Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit (6) : * et cogitabat intra se dicens : Quid fa-

(1) Isai. 28. — (2) Sap. 2. — (3) Ps. 54. — (4) Ps. 93. — (5) Ps. 7. — (6) Luc 12.

ciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? * Et dixit: Hoc faciam: destruam horrea mea, et majora faciam: et illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, et bona mea. * Et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. * Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem parasti, cujus erunt?

Audite verbum Domini, viri illusores. Hæc dicit Dominus: * Ecce venio sicut fur. * Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet (1) * cum enim dixerint pax, et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient. Audite, viri illusores: et non effugient.

* O insensati, quis vos fascinavit non obedire veritati (2)? * Decepistis animas vestras (3), ** moriemini in peccatis vestris (4).

* Vos autem non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat (5); * omnes enim vos filii lucis estis, et filii diei: non sumus noctis neque tenebrarum. Igitur non dormiamus sicut et cæteri, sed vigilemus, et sobrii simus. * Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt; * nos autem qui diei sumus, sobrii simus, induti loricam fidei et charitatis, et galeam spem salutis: * Quoniam non po

(1) Apoc. 16. 1. Thes. 5. — (2) Gal. 3. — (3) Jer. 4. — (4) Joan. 8. — (5) 1. Thess. 5.

suit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum, * qui mortuus est pro nobis : ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus.

IV. MEDITATIO.

MORTEM ESSE REGULAM JUDICII NOSTRI IN ÆSTIMANDIS REBUS HUMANIS.

I. PUNCTUM.

Primus hujus regulæ usus. --- Mors est magistra sapientiæ, --- et vanitatem hominis arguit ; separat enim illum ab hoc mundo universe.

Sapientia ubi invenitur ? et quis est locus intelligentiæ (1)? * Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium. * Perditio et mors dixerunt : Auribus nostris audivimus famam ejus. * O mors, bonum est judicium tuum (2) !

Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum : qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita (3).

* Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis (4) : et nescit quod

(1) Job. 28. — (2) Eccle. 41. — (3) Eccle. 11. — (4) Job. 14.

tempus præteriet, et mors appropinquet, et relinquat omnia aliis, et morietur (1).

* Siccine separat amara mors (2) ? O mors, bonum est judicium tuum! vanitatis arguentur præterita.

II. PUNCTUM.

Secundus regulæ usus. --- Mors separat ab omni bono jucundo.

Impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis (3). * Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum. * Domus eorum securæ sunt et pacatæ, et non est virga Dei super illos. * Bos eorum concepit, et non abortivit : vacca peperit, et non est privata fœtu suo * Egrediantur quasi greges parvuli eorum, et infantes eorum exultant lusibus. * Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi. * Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.

Siccine separat amara mors ? O mors, bonum est jndicium tuum ! Vanitatis arguentur præterita

(1) Eccle. 11. — (2) 1. Reg. 15. — (3) Job. 21.

III. PUNCTUM.

Tertius regulæ usus. --- Mors separat ab omnibus divitiis.

O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis (1),* viro quieto, et cujus viæ directæ sunt in omnibus, et adhuc valenti accipere cibum.

O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis! * Cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus (2): * cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus; * cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, et nihil inveniet (3). * Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertetur, et nihil auferet secum de labore suo (4). * Miserabilis prorsus infirmitas! quomodo venit, sic revertetur. Quid ergo prodest ei quod laboravit in ventum?

Siccine separat amara mors? O mors, bonum est judicium tuum! Vanitatis arguentur præterita.

(1) Eccle. 41. — (2) Ps. 48. — (3) Job. 27. — (4) Eccle. 5.

IV. PUNCTUM.

Quartus regulæ usus. --- Mors separat ab omni honore et gloria.

Homo cum mortuus fuerit, et nudatus, atque consumptus, ubi quæso est (1)? Ubi est litteratus? ubi legis verba ponderans? ubi doctor parvulorum (2)? * ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi (3)? * Ubi nunc sunt (4)?

* Ubi est Rex Emath, et Rex Arphad, et Rex urbis Sepharvaim, Ana, et Ava (5)? Ubi sunt principes gentium, et qui dominantur super bestias quæ sunt super terram. * Qui in avibus cœli ludunt, * qui argentum thesaurizant, et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum? Qui argentum fabricant et solliciti sunt, nec est inventio operum illorum? * Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt, et alii loco eorum surrexerunt.

Ubi nunc sunt? Exterminati sunt; et ad inferos descenderunt. Siccine separat amara mors? O mors, bonum est judicium tuum! Vanitatis arguentur præterita.

(1) Job. 14. — (2) Isai. 33. — (3) 1. Cor. 1. — (4) Isai. 19. — (5) Bar. 3.

V. PUNCTUM.

Quintus regulæ usus. --- Mors omnes homines confundit indiscriminatim.

Homo cum mortuus fuerit, nudatus atque consumptus, ubi quæso est ?

* Congregatus est ad populum suum (1) : * ubi umbra mortis, et nullus ordo (2), * nulla erit distantia personarum (3). * Parvus et magnus ibi sunt, et servus liber a domino suo (4), * simul in unum dives et pauper (5). * Non erit memoria sapientis, similiter ut stulti : moritur doctus, similiter ut indoctus (6). * Iste moritur robubus et sanus, dives et felix (7); * alius vero moritur in amaritudine animæ absque ullis opibus. * Et tamen simul in pulvere dormient, et vermes operient eos.

* Ad vos ergo, Reges, sunt hi sermones (8), * Optimates capita populorum (9), * Reges, Principes, et omnes Judices terræ (10); * Dii estis, et filii Excelsi omnes (11): * vos autem sicut homines moriemini.

* Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, et similis exitus (12).

O mors, bonum est judicium tuum ! Vanitatis arguentur præterita.

(1) Gen. 25. (2) Job. 10. — (3) Deut. 1. — (4) Job. 3. — (5) Ps. 48. — (6) Eccle. 2. — (7) Job. 21. — (8) Sap. 6. — (9) Amos. 6. — (10) Ps. 148. — (11) Ps. 81. — (12) Sap. 7.

VI. PUNCTUM.

Sextus regulæ usus. --- Denique separat hominem a se ipso.

Homo cum mortuus fuerit, nudatus, atque consumptus, ubi quæso est ?

Ubi quæso est, * a se mutuo separatus (1) ?

Ubi * et anima et corpus (2) ?

Corpus ? * quasi sterquilinium in fine perdetur, et qui eum viderant, dicent : Ubi est (3) ? * cum enim morietur homo, hereditabit serpentes, et bestias, et vermes (4).

Anima ? * Anima vero, quoniam adversus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo (5); * verbum enim Domini contempsit, et præceptum illius fecit irritum : idcirco delebitur, et portabit iniquitatem suam.

Siccine separat amara mors ? O mors, bonum est judicium tuum ! Vanitatis arguentur præterita.

* Filii hominum usquequo gravi corde ? Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium (6) ? * Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur ? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua (7) ?

(1) Esth. 3. — (2) 1. Thess. 5. — (3) Job. 20. — (4) Eccle. 10. — (5) Num. 15. — (6) Ps. 4. — (7) Matth. 16.

DUÆ

MEDITATIONES

DE JUDICIO PRIVATO.

PRIMA MEDITATIO.

DE NATURA HUJUS JUDICII.

I. PUNCTUM.

De hoc ipso judicio. — Judicii necessitas petitur ex gloria et justitia Jesu Christi. — Ejus materia, omnia hominis opera; — quæ maxime pudenda, — quæ occultissima, — quæ cordi intima, — quæ visa sunt levissima, aut maxime indifferentia, — etiamque optima.

* Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium (1). * Omnes stabimus ante tribunal Christi (2): * scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur Deo. * Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo; * omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria cor-

(1) Heb. 9. — (2) Rom. 14.

poris, prout gessit, sive bonum sive malum. Omnes (1); * non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam : quoniam pusillum et magnum ipse fecit (2).

* In fine hominis denudatio operum illius (3); cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit (4).

* Hæc dicit Dominus (5) : * Judicabo te juxta vias tuas, et ponam contra te omnes abominationes tuas. * Et non parcet oculus meus super te, et non miserebor : sed vias tuas ponam super te, et abominationes tuæ in medio tui erunt : et scietis quia ego Dominus; * Ego sum scrutans renes et corda : et dabo unicuique vestrum secundum opera sua (6).

* Scrutabor Jerusalem in lucernis (7); * nihil enim est opertum, quod non revelabitur, et occultum, quod non scietur (8).

Scrutabor, * pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis (9).

Scrutabor : * quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii (10).

Scrutabor : * ego justitias judicabo (11), * præ-

(1) II. Cor. 5. — (2) Sap. 6. — (3) Eccle. 11. — (4) Eccle. 12. — (5) Ezech. 7. — (6) Apoc. 2. — (7) Soph. 1. — (8) Matth. 10. — (9) Heb. 4. — (10) Matth. 12. — (11) Ps. 74.

sumentes de se, et de sua virtute gloriantes (1), * qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur cæteros. * Vos estis qui justificatis vos coram hominibus; Deus autem novit corda, vestra : quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum (2).

Hæc dicit Dominus. Statutum est hominibus semel mori : post hoc autem judicium; * tempus omnis rei tunc erit (3). * Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum (4) : * beatus qui inventus est sine macula (5). * Quis est hic ? * Quis erit (6)? * Quis ego sum, aut quæ est vita mea (7)?

II. PUNCTUM.

De judice. — Judex Christus est vere Deus, — apud quem cum nihil sit mundum, --- quid erunt impius et peccator? --- Christus est, --- beneficus redemptor, --- adeoque jure timendus; --- eoque magis, quod ex redemptore factus inimicus malos male perdet.

* Scimus qui dixit : Mihi vindicta, et ego retribuam (8). * Horrendum est incidere in manus Dei viventis.

* Exaltabitur Dominus exercituum in judicio, et Deus sanctus sanctificabitur in justitia (9). * Sanctus et fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis (10).

(1) Judith. 6. — (2) Luc. 18. — (3) Eccle. 3. — (4) Ps. 31. — (5) Eccle. 31. — (6) Judic. 20. — (7) 1. Reg. 18. (8) Heb. 10. — (9) Isai. 5. — (10) Jos. 24.

* Numquid justificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere (1)? * Ecce, luna etiam non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus : * quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis? * Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus : * quanto magis abominabilis et inutilis homo qui bibit quasi aquam iniquitatem? * Horrende et cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum (2) : * quoniam Deus judex est (3) * sanctus Dominus Deus noster (4). * Justum et impium judicabit (5) ; * et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt (6)?

Scimus qui dixit : Mihi vindicta; * omne judicium dedit filio (7), * ut omnes honorificent filium. * Ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum (8), qui mortuus est pro nobis. Horrendum est incidere in manus Dei viventis, qui mortuus est pro nobis (9).

* Irritam quis faciens legem Moïsi sine ulla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur (10): * quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Horrendum est incidere in manus Dei viventis, qui

(1) Job. 25. — (2) Sap. 6. — (3) Ps. 74. — (4) Ps. 98. — (5) Eccle. 3. — (6) 1. Pet. 4. — (7) Joan. 5. — (8) Act. 10. — (9) 1. Thes. 5. — (10) Heb. 10.

mortuus est pro nobis (1); qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam; qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo (2).

* Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum (3). * Horrende et cito apparebit vobis (4); * factus velut inimicus (5), * malos male perdet (6), * inimicos crucis, * rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, et ostentui habentes (7). * Tunc dicet: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (8).

* Crudelis sententia (9)! * Quis non timebit te, o Rex gentium (10), * magne, fortis, et terribilis (11)?

Crudelis sententia! * Convertimini, filii hominum (12): * fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est, et scitote esse judicium (13). * Cum metu et tremore vestram salutem operamini (14).

(1) Gal. 1. — (2) Apoc. 1. — (3) Gal. 3. — (4) Sap. 6. — (5) Thr. 2. — (6) Matth. 21. — (7) Philipp. 3. Heb. 6. — (8) Matth. 25. — (9) Dan. 2. — (10) Jer. 10. — (11) II. Esdr. 9. — (12) Ps. 89. — (13) Job. 19. — (14) Philip. 2.

III. PUNCTUM.

De reo. -- Agnoscit homo, — nihil, ut sit in judicio hominum, valere posse pro se in hoc judicio : — non rationem et fortitudinem ad tuendum se, — non sapientiam ad quidquam celandum, — non excusationes et preces, — non innocentiam reputatam, — non patroni ullius opem, — non alicujus tertii arbitrium, — non spem ullam aliter satisfaciendi Judicii, — non repetendi judicii rationem aliquam.

* Dominus dixit (1) : * Numquid irritum facies judicium meum ? et condemnabis me, ut tu justificeris ? * Et si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas, * quis resistere potest vultui meo ? * Non parcam ei, et verbis potentibus et ad deprecandum compositis.

* Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem (2), * tuam manum effugere impossibile est. * Utinam sic judicaretur vir cum Deo, quomodo judicatur filius hominis cum collega suo (3).

* Neque enim viro, qui similis mei est, respondebo : nec qui mecum in judicio ex æquo possit audiri. * Si fortitudo quæritur, robustissimus est. * Numquid timens arguet te, et veniet tecum in judicium, * et non propter malitiam tuam plurimam, et infinitas iniquitates tuas? * Deus cujus iræ nemo resistere potest, et sub quo curvantur

(1) Job. 40. — (2) Sap. 16. — (3) Job. 16.

qui portant orbem : * quantus ergo ego sum, ut respondeam ei, et loquar verbis meis cum eo ? * Vere scio quod ita sit, et quod non justificetur homo compositus Deo. * Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.

* Ecce, Domine, tu cognovisti omnia (1); * scio quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio (2). * Quis est iste qui celat consilium absque scientia? * Non sunt tenebræ, et non est umbra mortis, ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem. * Ecce enim in cœlo testis meus et conscius meus in excelsis. * Ego sum judex et testis, dicit Dominus (3).

* Etiamsi habuero quidpiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor (4). * Et cum invocantem exaudierit me, non credo quod audierit vocem meam. * Si justificare me voluero, os meum condemnabit me : si innocentem ostendero, pravum me comprobabit. * Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, et tædebit me vitæ meæ.

* Quis non timebit te, Domine (5) ? * Si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimæ manus meæ (6) : * tamen sordibus intinges me.

* Unde veniet auxilium mihi (7) ? * Voca ergo, si est qui tibi respondeat, et ad aliquem sancto-

(1) Ps. 138. — (2) Job. 42. — (3) Jer. 29. — (4) Job. 9. — (5) Apoc. 15. — (6) Job. 9. — (7) Ps. 120.

rum convertere (1). * Si fuerit angelus loquens unus de millibus, ut annuntiet hominis æquitatem : * miserebitur ejus, et dicet : Libera eum, ut non descendat in corruptionem : inveni in quo ei propitier.

* Infelix ego homo (2)! * Nemo audet pro me testimonium dicere (3). * Non est qui utrumque valeat arguere, et ponere manum suam in ambobus.

* Impossibile est (4) * renovari ad pœnitentiam. * Jam non relinquitur pro peccatis hostia; * terribilis autem quædam expectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.

* Neque ultra in hominis potestate est, ut veniat ad Deum in judicium (5).

CONCLUSIO MEDITATIONIS.

Excitat se homo ad timorem Dei.

* Quomodo mente tractavi (6), * sic eveniet (7). * Metuamus Dominum Deum nostrum. * Preoccupemus faciem ejus in confessione (8). * Beatus homo cui donatum est habere timorem Dei (9); * beatus homo qui semper est pavidus (10). * Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat (11). * Confige timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui (12).

(1) Job. 5. — (2) Rom. 7. --- (3) Job. 9. — (4) Heb. 6. — (5) Job. 34. — (6) Isai. 14. --- (7) Jer. 5. --- (8) Ps. 94. --- (9) Eccle. 25. --- (10) Prov. 28. --- (11) Ps. 101. --- (12) Ps. 118.

Metuamus Dominum Deum nostrum. ' Timor Domini, principium sapientiæ (1), ' ipsa est sapientia (2). ' Audi, populc stulte, qui non habes cor; qui habentes oculos, non videtis; et aures, et non auditis (3). ' Me ergo non timebitis, ait Dominus : et a facie mea non dolebitis? ' Numquid super his non visitabo, dicit Dominus ? aut super gentem hujuscemodi non ulciscetur anima mea ?

Metuamus Dominum Deum nostrum. ' Timenti Dominum bene erit in extremis (4). ' Non æmuletur cor tuum peccatores : sed in timore Domini esto tota die; ' quia habebis spem in novissimo, et præstolatio tua non auferetur (5).

(1) Prov. 1. — (2) Job. 28. — (3) Jer. 5. — (4) Eccle. 1. — (5) Prov. 23.

II. MEDITATIO.

DE PRÆPARATIONE AD JUDICIUM.

I. PUNCTUM.

Præparationis hujus necessitas. — Petitur ex calamitate peccatoris in judicio, — ex timore et amore Dei, — ex proximitate judicii, — ex patientia Dei, qui ad hoc ipsum dat tempus.

* Væ his qui perdiderunt sustinentiam, et qui dereliquerunt vias rectas, et diverterunt in vias pravas (1). * Et quid facient cum inspicere cœperit Dominus?

* Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius; et qui diligunt illum, conservabunt viam illius. * Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei; et qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius. * Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas. * Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, et patientiam habebunt usque ad inspectionem illius, * dicentes: Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, et non in manus hominum.

* Videte itaque, fratres, quomodo caute ambu-

(1) Eccle. 2.

letis ; non quasi insipientes (1), * sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

* Juxta est dies Domini magnus, juxta est et velox nimis (2). * Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, et non tardabit (3). * Unum hoc non lateat vos, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni : et mille anni sicut dies unus (4).

*Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant ; sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. * Quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, * expectantes et properantes in adventum diei Domini. * Propter quod, charissimi, hæc expectantes satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace : * et Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini.

* Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem (5) : * et tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem.

(1) Ephes. 5. — (2) Soph. 1. — (3) Heb. 10. — (4) II. Pet. 3. — (5) Heb. 10.

II. PUNCTUM.

Varia hujus præparationis exercitia, pro vario meditantis statu. — Ad imitationem villici, cui reddenda erat ratio suæ villicationis, excogitat peccator, quid sibi opus sit facto.

* Homo quidam erat dives, qui habebat villicum : et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius (1). * Et vocavit illum, et ait illi : Quid hoc audio de te ? redde rationem villicationis tuæ; jam enim non poteris villicare. * Ait autem villicus intra se : Quid faciam, quia Dominus meus aufert a me villicationem ? Fodere non valeo, mendicare erubesco. * Scio quid faciam.

* Est autem hæc parabola (2). Quid enim faciam, cum surrexerit ad judicandum Deus; et cum quæsierit, quid respondebo illi ?

I. EXERCITIUM.

Cura purificandi conscientiam.

Scio quid faciam. * Ante judicium, interroga te ipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem (3). * Conserva tempus, et devita a malo. * Qui abscondit scelera sua non dirigetur; qui au-

(1) Luc. 16. — (2) Job. 31. — (3) Eccle. 18.

tem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur (1).

* Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius Judici, et Judex tradat te ministro, et in carcerem mitraris (2). * Non exies inde donec reddas novissimum quadrantem. * Da operam liberari ab illo (3).

Scio quid faciam. * Confitebor adversum me injustitiam meam Domino (4) : * et observabo me ab iniquitate mea (5).

II. EXERCITIUM.

Deprecatio judicis.

Quid faciam cum surrexerit ad judicandum Deus? Quo a facie tua fugiam (6). * Tempus non erit amplius (7). * Ecce nunc tempus acceptabile (8).

Scio quid faciam. * Meum Judicem deprecabor (9). * Tædet animam meam vitæ meæ : dimittam adversum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ, * dicam Deo : Noli me condemnare ; indica mihi cur me ita judices. * Numquid bonum tibi videtur, si opprimas me opus manuum tuarum? * Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu ; et sic re-

(1) Prov. 28. — (2) Matth. 5. — (3) Luc. 12. — (4) Ps. 31. — (5) Ps. 17. — (6) Ps. 138. — (7) Apoc. 10. — (8) II. Cor. 6. — (9) Job. 9.

pente præcipitas me? * Vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum. * Licet hæc celes in corde tuo : tamen scio quia universorum memineris. * Si peccavi, et ad horam pepercisti : cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris?

* Parce mihi; nihil enim sunt dies mei.

Parce mihi : * redemisti me Domine, Deus veritatis (1).

Parce mihi; * Si iniquitates observaveris, Domine, Domine quis sustinebit (2)?

Parce mihi, quia apud te propitiatio est.

III. EXERCITIUM.

Satisfactio per opera pœnitentiæ. — Ut avertat peccator iram Dei, sese offert ad vindicandum illum de peccatis suis, — mortificatione carnis, — lacrymis, compunctione cordis, — meditatione, — et oratione, — eleemosina, — restitutione, — zelo salutis aliorum.

* Quid facient, cum inspicere cœperit Dominus (3)? * Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere aventura ira (4)? * Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. * Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur (5).

Scio quid faciam.

* Domine, exaudi me in tua justitia : * et non intres in judicium cum servo tuo, quia non justi-

(1) Ps. 30. — (2) Ps. 129. — (3) Eccle. 2. — (4) Luc. 3. — (5) I. Cor. 11.

ficabitur in conspectu tuo omnis vivens. * In me transierunt iræ tuæ (1). * Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi (2).

* Idcirco ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam (3) * in jejuniis, sacco, et cinere (4). * Plorabit anima mea in abscondito (5). * Lavabo per singulas noctes lectum meum. * Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ (6).

* In matutinis meditabor in te : * sicut pullus hirundinis, sic clamabo : meditabor ut columba (7). * Quoniam ad te orabo, Domine, mane exaudies vocem meam. * Mane astabo tibi, et videbo : quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

* Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus (8), * ut recipiant me in domos suas, * in æterna tabernacula. * Et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.

* Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur. * Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo : narrabo omnia mirabilia tua; * narrabo nomen tuum fratribus meis : in medio Ecclesiæ laudabo te.

Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

* Domine, si sic vivitur, et in talibus vita spi-

(1) Ps. 87. — (2) Matth. 18. — (3) Job. 42. — (4) Dan. 9. — (5) Jer. 13. — (6) Isai. 38. — (7) Isai. 38. — (8) Luc. 19.

ritus mei : corripies me, et vivificabis me (1). * Ecce in pace amaritudo mea amarissima.

IV. EXERCITIUM.

Acceptarum a proximo injuriarum sincera remissio. — Unusquisque judicandus est a Deo juxta regulam, qua ipse judicaverit inimicos suos ; — unde concluditur, illis veniam dandam esse, eosdemque pariter esse diligendos.

Quid faciam ? * Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam : et peccata illius servans servabit (2). * Relinque proximo tuo nocenti te : et tunc deprecanti tibi peccata solventur. * Homo homini reservat iram, et a Deo quærit medelam ? * In hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur ? * Ipse cum caro sit, reservat iram, et propitiationem petit a Deo ?

Quis exorabit pro delictis illius ? * Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam ; superexaltat autem misericordia judicium (3). * Nolite judicare, ut non judicemini (4); * in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini : et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. * Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis pater vester cœlestis delicta vestra ; * si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.

(1) Isai. 38. — (2) Eccle. 28. — (3) Jac. 2. — (4) Matth. 7.

Scio quid faciam. * Memento novissimorum, et desine inimicari (1), * memorare timorem Dei, et non irascaris proximo. * Memorare testamentum Altissimi, et despice ignorantiam proximi. * Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitierit, da ei aquam bibere (2); * prunas enim congregabis super caput ejus, et Dominus reddet tibi. * Noli vinci a malo, sed vince in bono malum (3).

V. EXERCITIUM.

Contemptus judiciorum hominum. — Ratio hujus contemptus petitur ex eo, quod Deus sit solus judex.

* An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem (4) * Unus est Legislator et Judex, qui potest perdere et liberare (5). * Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam (6).

* Vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris. * Mihi pro minimo est, ut a vobis judicer : sed neque me ipsum judico (7); * nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum : qui autem judicat me, Dominus est. * Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebra-

(1) Eccle. 28. — (2) Prov. 25. — (3) Rom. 12. — (4) Gal. 1. — (5) Jac. 4. — (6) Matth. 10. — (7) 1. Cor. 4.

rum, et manifestabit consilia cordium: et tunc laus erit unicuique a Deo.

VI. EXERCITIUM.

Optio ultionis divinæ temporalis potius quam æternæ. — Divina ultio in hac vita salubre est supplementum pœnitentiæ cum omittitur. — Illud exquiri debet a Deo, — æstimari magni, — et salutaribus usibus destinari.

Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem (1)?

* Scio quid faciam. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe (2).

* Exaudi me, Domine, in tua justitia; * corripe me, Domine: verumtamen in judicio, et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me (3). * Exurge, Domine, in ira tua: * quoniam ego in flagella paratus sum. * Judica me secundum justitiam tuam, Domine Deus meus, et non supergaudeant mihi, * nec dicant: Devoravimus eum.

* Dum judicamur autem, a Domino corripimur: ut non cum hoc mundo damnemur (4). * Sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quibus quasi servi corripimur, ad emendationem et non ad perditionem nostram evenisse credamus (5). * Beatus homo, qui corripitur a Deo; increpatio-

(1) Heb. 2. — (2) Eccle. 2. — (3) Jer. 10. — (4) 1. Cor. 11. — (5) Judith. 8.

nem ergo Domini non reprobes (1) : * quia ipse vulnerat, et medetur; percutit, et manus ejus sanabunt.

Exurge, Domine, in ira tua : * quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper; * quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo.

* Apud me oratio Deo vitæ meæ; dicam Deo : * Peccavi, et vere deliqui : et ut eram dignus, non recepi (2). * Benedictum est nomen tuum, Deus patrum nostrorum, qui cum iratus fueris, misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his qui invocant te (3).

* Non moriar, sed vivam : et narrabo opera Domini. * Castigans castigavit me Dominus : et morti non tradidit me.

* Benedictus Dominus in æternum : fiat, fiat (4).

(1) Job. 5. — (2) Job. 33. — (3) Tob. 3. — (4) Ps. 88.

QUINQUE

MEDITATIONES

DE INFERNO.

PRIMA MEDITATIO.

DE POENA DAMNI.

Explicatur ejus natura per colloquium Christi et hominis pœnitentis. — Homo petit humiliter ut doceatur quæ sit hujus pœnæ natura. — Christus explicat ejus naturam, quæ consistit in hoc, quod damnatus ignoretur a Deo, — projiciatur ab illo, — privetur ejus visione, — maledictus sit ab illo, — ideoque maneat omnibus malis obnoxius, — et omni spe alterius boni excidat. — Tantæ pœnæ se obnoxium hactenus vixisse obstupescit; — petit ut ab illa liberetur : — quod ex pœnitentia, et amore suo erga Deum confidit jam sibi concessum esse.

Homo poenitens. Ego dixi : in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi (1). * Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit : * deducit ad inferos et reducit (2).

Vadam, Deus ultionum; * mane astabo tibi et

(1) Isai. 38. — (2) 1. Reg. 2.

videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. * Deus ultionum, * confige timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui. (1) * Quis novit potestatem iræ tuæ, et præ timore tuo iram tuam dinumerare (2)? * Dexteram tuam sic notam fac, * et judicia tua doce me (3).

* Christus. Cum intraverit paterfamilias, et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ostium, dicentes : Domine, aperi nobis; et respondens dicet vobis : Nescio vos unde sitis (4). * Tunc incipietis dicere : Manducavimus coram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti. * Et dicet vobis : nescio vos unde sitis : discedite a me omnes operarii iniquitatis.

* Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus (5)? * Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos : discedite a me qui operamini iniquitatem.

* Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus. * Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium (6) * Non videbit quispiam de hominibus generationis hujus pessimæ terram bonam, quam sub juramento pollicitus sum patribus vestris (7);

(1) Ps. 118. — (2) Ps. 89. — (3) Ps. 118. — (4) Luc. 13. — (5) Matth. 7. — (6) Apoc. 22. — (7) Deut. 1.

* Non videbit bonum quod ego faciam populo meo (1); * Non videbit gloriam Domini (2); * Usque in æternum non videbit lumen (3);

* Nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam (4): * ut juravi in ira mea : Si introibunt in requiem meam (5).

Discedite a me, maledicti. * Vos non populus meus, et ego non ero vester (6).

* Maledicti. Vocabuntur termini impietatis, et populus cui iratus est Dominus usque in æternum (7). * Irascetur furor meus contra eum in die illo : et derelinquam eum, et abscondam faciem meam ab eo, et erit in devorationem : invenient eum omnia mala, et afflictiones; ita ut dicat in illo die : Vere quia non est Deus mecum, invenerunt me hæc mala (8).

* Dilexit maledictionem, et veniet ei ; et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo (9).

Discedite a me. Ego non ero vester. * Ego Dominus, et non est amplius (10). * Non est ultra Deus absque me. * Quis contristabitur super te ? Quis consolabitur te? * In me gratia omnis viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis (11): et extra me non est alia amplius (12) * Ego sum Dominus et non est absque me Salvator (13), * et non est qui de manu mea eruat.

(1) Jer. 29. — (2) Isai. 26. — (3) Ps. 48. — (4) Luc. 14. — (5) Ps. 94. — (6) Osee. 1. — (7) Malac. 1. — (8) Deut. 31. — (9) Ps. 108. — (10) Isai. 45. — (11) Eccle. 24. — (12) Soph. 2. — (13) Isai. 43.

Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, * pleni indignatione Domini.

Homo poenitens. * Domine, audivi auditionem tuam, et timui (1) : * super hoc expavit cor meum (2). * Domine Deus salutis meæ, in die clamavi, et nocte coram te (3). * Intret in conspectu tuo oratio mea : inclina aurem tuam ad precem meam : * quia repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit;

* Et ego nesciebam (4). * Circumdederunt me dolores mortis, et pericula inferni invenerunt me (5);

* Et ignoravi (6). * Ad te, Domine, clamabo : Deus meus, ne sileas a me : nequando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum (7). * Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ, dum oro ad te : dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. * Ne simul trahas me cum peccatoribus, et cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

* Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ (8). * Ne perdas cum impiis Deus, animam meam (9).

* Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ; * quia inclinavit aurem suam mihi, et in diebus meis invocabo. * Circumdederunt me dolores mortis, et pericula inferni invenerunt me.

(1) Hab. 3. — (2) Job. 37. — (3) Ps. 87. — (4) Gen. 28. — (5) Ps. 114. — (6) Ps. 34. — (7) Ps. 27. — (8) Ps. 25. — (9) Ps. 114.

Tribulationem et dolorem inveni : * et nomen Domini invocavi. O Domine, libera animam meam.

* Misericors Dominus, et justus, et Deus noster miseretur. * Custodiens parvulos Dominus : humiliatus sum, et liberavit me. * Convertere anima mea in requiem tuam : quia Dominus benefecit tibi ; * quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu. * Placebo Domino in regione vivorum.

II. MEDITATIO.

DE DOLORE IMPIORUM EX POENA DAMNI.

I. PUNCTUM.

Dolor mentis. — Dolor mentis oritur ex perfectissima et semper præsenti cognitione æternæ felicitatis, — ejusdemque irreparabili amissione.

* Pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, et a gloria virtutis ejus (1); * cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt. * A facie Domini Dei in medio paradisi (2); * cum venerit in gloria patris sui cum angelis sanctis (3), * ibunt hi in supplicium æternum (4).

(1) II. Thess. 1. — (2) Gen. 3. — (3) Marc. 8. — (4) Matth. 25.

* Audite rebelles et increduli (1). * Ibi erit fletus et stridor dentium, cum videritis Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras (2). * Et venient ab oriente, et occidente, et aquilone, et austro, et acumbent in regno Dei; * filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores (3) : * ibi erit fletus et stridor dentium. In flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, et qui non obediunt evangelio Domini nostri Jesu Christi (4), * pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, et a gloria virtutis ejus.

* Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis fremet, et tabescet.

Peccator videbit, * quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis (5), * et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus secundum operationem potentiæ virtutis ejus, * quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in cœlestibus. Peccator videbit, * et possidere non poterit (6) : * quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt : neque corruptio incorruptelam possidebit (7).

Peccator videbit. * Regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longe, et

(1) Num. 20. — (2) Luc. 13. — (3) Matth. 8. — (4) II. Thess. 1. — (5) Eph. 1. — (6) Job. 20. — (7) I. Cor. 15.

possidere non poterit. Videbit, et irascetur, dentibus suis fremet, et tabescet (1).

II. PUNCTUM.

Dolor voluntatis. — Explicatur hic dolor per colloquium peccatoris damnati et Dei vindicis, — desiderio videndi Deum cruciatur damnatus, — et quidem magis quam igne. — Desiderium illud reprobat Deus et rejicit. — Repulsæ, quam a Deo patitur, rationem exquirit, ejus præteritum amorem cum odio præsenti comparans: — redditur a Deo ratio; — contra tamen enititur impius exagitatus desiderio videndi Deum. — Negat Deus illud unquam posse fieri. — Quare impius sperare cessat, non autem desiderare.

* Desiderium peccatorum peribit.

* Mortuus est dives, et sepultus est in inferno (2). * Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus: * et ipse clamans, dixit:

Impius damnatus. Pater, miserere mei: crucior in hac flamma.

* Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat omnipotens (3)? * Obsecro ergo ut videam faciem regis (4), * regis mei qui est in sancto (5):

Ut videam faciem regis, * in quem desiderant angeli prospicere (6).

(1) Isai. 33. — (2) Luc. 16. — (3) Job. 31. — (4) II. Reg. 14. — (5) Ps. 67. — (6) I. Pet. 1.

* Domine, ante te omne desiderium meum (1). * Unam petii a Domino, hanc requiram, ut videam voluptatem Domini (2).

Crucior in hac flamma; * in me sit ista maledictio : tantum audi vocem meam (3), * et omne, quod imposueris mihi, feram; tantum audi vocem meam : ut videam faciem regis (4).

* Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus : * sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. Quando veniam et apparebo ante faciem Dei? * Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte : dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus?

Crucior in hac flamma : dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus?

Ubi est Deus tuus? * Quis mihi tribuat ut cognoscam et inveniam illum, et veniam usque ad solium ejus (5)?

* In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti (6), * similis ero altissimo.

Deus vindex. * Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci. * Inter nos et vos chaos magnum firmatum est : ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. Desiderium peccatorum peribit (7). * Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem (8); * quærent intrare, et non poterunt (9).

(1) Ps. 37. — (2) Ps. 26. — (3) Gen. 27. — (4) IV. Reg. 18. — (5) Job. 23. — (6) Isai. 14. — (7) Luc. 16. — (8) Ps. 105. — (9) Luc. 13.

Impius damnatus. * Manus tuæ fecerunt me, et sic repente præcipitas me (1)? * Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me. * Vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum. * Licet hæc celes in corde tuo, tamen scio quia universorum memineris. * Si peccavi, et ad horam pepercisti mihi : cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris, * reversusque mirabiliter me crucias ?

* Reminiscere miserationum tuarum, Domine (2), clamo ad te, et non exaudis me : sto, et non respicis me (3). * Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi.

Deus vindex. * Vocavi, et renuistis : extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret (4). * Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis ; ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo. * Omnia tempus habent (5) : tempus dilectionis, et tempus odii. * Recepisti bona in vita tua : nunc autem cruciaris (6).

Impius damnatus. * Deus virtutum converte nos : et ostende faciem tuam, et salvi erimus. * Deus virtutum convertere : respice de cœlo, et vide. * Domine Deus virtutum converte nos : et ostende faciem tuam, et salvi erimus (7).

Deus vindex. * Beati mundo corde : quoniam ipsi Deum videbunt (8). * Immunditia tua exe-

(1) Job. 10. — (2) Ps. 24. — (3) Job. 30. — (4) Prov. 1. — (5) Eccle. 3. — (6) Luc. 16. — (7) Ps. 79. — (8) Matth. 5.

crabilis : quia mundare te volui, et non es mundata a sordibus tuis : sed nec mundaberis (1).

Impius damnatus. *Usquequo, Domine, irasceris in finem : accendetur velut ignis zelus tuus (2) ? * Desperavi, nequaquam ultra jam vivam (3). • Spoliavit me gloria mea, et abstulit coronam de capite meo. * Destruxit me undique, et pereo, et quasi evulsæ arbori abstulit spem meam. * Iratus est contra me furor ejus, et sic me habuit quasi hostem suum.

III. PUNCTUM.

Dolor ex memoria. --- Oritur ex recordatione rerum præteritarum ; --- nempe contemptæ virtutis, --- gratiarum neglectarum, --- laboris et turpitudinis peccatorum, — mali usus honorum et divitiarum, quæ evanuerunt, --- et omnis boni omissi.

* Vermis eorum non moritur (4).

• Tunc stabunt justi in magna constantia, adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum (5). Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes :

Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii. * Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem

(1) Ezech. 24. --- (2) Ps. 78. --- (3) Job. 7. --- (4) Marc. 9. --- (5) Sap. 5.

illorum sine honore : * ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est.

* Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis.

* Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus viâs difficiles : viam autem Domini ignoravimus.

* Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? * Transierunt illa omnia tanquam umbra, et tanquam nuntius percurrens, * et tanquam navis quæ pertransit fluctuantem aquam : cujus cum præterierit, non est vestigium invenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus; * aut tanquam avis, quæ transvolat in aere, cujus nullum invenitur argumentum itineris, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum, et scindens per vim itineris aerem : commotis alis transvolavit, et post hoc nullum signum invenitur itineris illius; * aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aer continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius :

* Sic et nos nati, continuo desivimus esse : et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere : in malignitate autem nostra consumpti sumus.

* Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt :

Talia dixerunt, pœnitentiam agentes.

* Sic comedet eos vermis (1) : vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.

CONCLUSIO MEDITATIONIS.

Alios homines, adeoque seipsum excitat homo, ad quærendum nunc Deum.

' Intelligite hæc qui obliviscimini Deum (2) : ' Quærctis me, et non invenietis (3).

* Audite sapientes verba mea (4) : ' Quærite Dominum, dum inveniri potest, invocate eum dum prope est (5).

* Cavete ne decipiatur cor vestrum, et recedatis a Domino (6) : ' iratusque Dominus claudat cœlum, pereatisque de terra optima, quam Dominus daturus est vobis.

' Præbete igitur corda vestra et animas vestras, ut quæratis Deum vestrum, dum inveniri potest (7) : ' ut diligatis Dominum Deum, et ambuletis in omnibus viis ejus, adhærentes ei (8).

* Eamus, et deprecemur faciem Domini, et quæramus Dominum exercituum ; vadam etiam ego (9), ' quæram quem diligit anima mea, dum inveniri potest (10).

* Pars mea Dominus, dixit anima mea : propterea expectabo eum (11). * Bonus est Dominus

(1) Isai. 51. — (2) Ps. 49. — (3) Joan. 7. — (4) Job. 34. — (5) Isai. 55. — (6) Deut. 11. — (7) 1. Paral. 22. — (8) Deut. 11. — (9) Zacch. 8. — (10) Cant. 3. — (11) Thren. 3.

sperantibus in eum, animæ quærenti illum, dum inveniri potest.

TERTIA MEDITATIO.

DE POENA SENSUS.

Explicatur hæc pœna per colloquium Dei vindicis et animæ pœnitentis. — Præparatio hujus meditationis. — Inferni descriptio. — Tantus horror expenditur ab anima pœnitente. — Deus objicit illi suum in hac re stuporem, — et necessitatem quidlibet patiendi ne damnetur. — Anima pœnitentiæ consilium init, — et rogat Deum ut illam a se velit exigere, si non egerit.

Anima poenitens. * Vox Domini reddentis retributionem inimicis suis (1). * Descendant in infernum viventes (2). Peccavi, * infernus domus mea est (3). * Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino. (4). * Tu autem, Domine Sabaoth, qui judicas juste, et probas renes et corda, videam ultionem tuam ex eis (4): * et judicia tua doce me (6), et virtutem terribilium tuorum (7). * Statue servo tuo eloquium tuum, in timore tuo (8).

Deus. * Accedite gentes, et audite, et populi

(1) Isai. 66. — (2) Ps. 54. — (3) Job. 17. — (4) Ps. 117. — (5) Jer. 11. — (6) Ps. 118. — (7) Ps. 144. — (8) Ps. 118.

attendite : audiat terra, et plenitudo ejus, orbis, et omne germen ejus (1). * Quia indignatio Domini super omnes gentes.

* Nunc consurgam, nunc exaltabor, nunc sublevabor. * Et erunt populi quasi de incendio cinis, spinæ congregatæ igni comburentur.

* Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus (2). * Præparata est enim ab heri Topheth, a rege præparata, profunda, et dilatata. Nutrimenta ejus, ignis et ligna multa : flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam (3). * Convertentur torrentes ejus in picem, et humus ejus in sulphur : et erit terra ejus in picem ardentem. * Nocte et die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus ejus.

* Timidis, et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus, et venefiçis, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure (4). * Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere (5), * ubi cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum (6) : * quoniam ultio Domini est (7). * Victima Domini in Bosra (8); * omnis enim igne salietur, et omnis victima sale salietur (9).

* Ignis succensus est in furore meo, et ardebit

(1) Isai. 34. — (2) Matth. 25. — (3) Isai. 30. — (4) Apoc. 21. — (5) Isai. 24. — (6) Apoc. 20. — (7) Jer. 50. — (8) Isai. 34. — (9) Marc. 9.

usque ad inferni novissima (1). * Congregabo super eos mala : * mea est ultio, * illic erit fletus et stridor dentium (2). * Erit cubile draconum, et occurrent dæmonia onocentauris (3). * Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, et in furore suo confirmaverunt tormenta sua (4).

* Et erit pro suavi odore fœtor (5), ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum (6). * Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile (7). * Stillabit furor meus super locum istum, et non extinguetur (8).

Anima poenitens. * Quis audivit talia horribilia (9) ?

* Horrendum est incidere in manus Dei viventis (10).

* Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et horribilis super omnes Deos (11).

* Deus vindex. * Non posuisti hæc super cor tuum, neque recordata es novissimi tui (12). * Et nunc audi hæc delicata, et habitans confidenter : * Ira furoris Domini imminet (13); * usquequo deliciis dissolveris (14).

Et nunc audi delicata : * Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante ? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis (15) ?

(1) Deut. 32. — (2) Matth. 24. — (3) Isai. 34. — (4) Eccle. 39. — (5) Isai. 3. — (6) Ps. 10. — (7) Deut. 32. — (8) II. Paral. 34. — (9) Jer. 18. — (10) Heb. 10. — (11) I. Par. 16. — (12) Isai. 47. — (13) II. Par. 28. — (14) Jer. 41. — (15) Isai. 33.

Et nunc audi hæc delicata : * Si scandalizaverit te manus tua, abscide illam : bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem (1), * ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur. * Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum : bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis, * ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur. * Quod si oculus tuus scandalizat te, ejice eum : bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis : * ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.

Et nunc audi hæc delicata : * Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira (2)? * Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.

Anima pœnitens. * Tempus faciendi, Domine (3) : * si sustinuero, infernus domus mea est (4). * Perii : tempus faciendi (5).

Si sustinuero, * corripe me, Domine : verumtamen in judicio, et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me (6).

Corripe me, Domine : * dexteram tuam sic notam fac (7) : * et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat, nec contradicam sermonibus Sancti (8).

(1) Marc. 9. — (2) Matth. 3. — (3) Ps. 118. — (4) Job. 17. — (5) Thr. 3. — (6) Jer. 10. — (7) Ps. 89. — (8) Job. 6.

Corripe me, Domine; * bonum enim est mihi magis (1) * quam mitti in gehennam ignis inextinguibilis (2). * Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis (3) : * misericordiam, et judicium cantabo tibi, Domine (4).

IV. MEDITATIO.

EXPONITUR POENA SENSUS PER COLLOQUIUM HOMINIS PECCATORIS, IMPII DAMNATI ET DEI VINDICIS.

Peccator expendit miseriam damnati simul et iram Dei. — Peccator ex consideratione inferni varias elicit conclusiones ad vitæ emendationem.

Peccator. * Ego dixi : In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi (5). * Mortuus est dives, et sepultus est in inferno (6) :* Vadam, et videbo visionem hanc magnam (7).

Impius damnatus. * Pater, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti in aquam, ut refriret linguam meam, quia crucior in hac flamma (8).

Deus vindex. * Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.

(1) 1. Cor. 9. — (2) Marc. 9. — (3) Habac. 3. — (4) Ps. 100. — (5) Isai. 38.— (6) Luc. 16.— (7) Exod. 3.— (8) Luc. 16.

Impius damnatus. Crucior in hac flamma, * ego ille quondam opulentus (1).

* Collegit furorem suum in me, hostis meus terribilibus oculis me intuitus est : * satiati sunt pœnis meis. * Conclusit me Deus apud iniquum, et manibus impiorum me tradidit.

* Ego ille quondam opulentus repente contritus sum, et posuit me sibi quasi in signum. * Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit. * Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas.

Ego ille quondam opulentus, crucior in hac flamma. * Expectabam bona, et venerunt mihi mala : præstolabar lucem, et eruperunt tenebræ. * Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie; * cutis mea denigrata est super me, et ossa mea aruerunt præ caumate. * Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium. Ego ille quondam opulentus, crucior in hac flamma.

Deus vindex. * Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli (2) : * propter multitudinem iniquitatis tuæ, et propter dura peccata tua feci hæc tibi.

Impius damnatus. * Deus, cujus iræ nemo resistere potest (3), * usquequo non parcis mihi, nec dimittis me ut glutiam salivam meam ?

Deus vindex. * Vindicta carnis impii, ignis

(1) Job. 16. — (2) Jer. 30. — (3) Job. 9.

vermis (1). * Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur (2); quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum (3).

Impius damnatus. Tantum quantum. * Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas, quam patior, in statera (4) : * quasi arena maris hæc gravior appareret; unde verba mea dolore sunt plena : * quia sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum : * nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est.

Homo peccator. * Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille (5).

* Horruit spiritus meus, ego territus sum in his (6). * Visio dura nuntiata est mihi : qui incredulus est, infideliter agit (7).

* Tu fidem habes (8)? * Fac conclusionem (9).

* Dives, qui induebatur, purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide (10), * sepultus est in inferno. Fac conclusionem.

* Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas (11); * melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles (12).

* Dixit illi Abraham : Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter

(1) Eccle. 7. — (2) Sap. 11. — (3) Apoc. 18. — (4) Job. 6. — (5) Matth. 26. — (6) Dan. 7. — (7) Isai. 21. — (8) Rom. 14. — (9) Ezec. 7. — (10) Luc. 16. — (11) Ps. 36. — (12) Prov. 15.

mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris (1). Fac conclusionem.

* Existimo, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (2).

* Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei (3) ; * beati qui nunc esuritis, quia saturabimini ; beati qui nunc fletis : quia ridebitis.

* Verumtamen, væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram ; * væ vobis qui saturati estis, quia esurietis ; væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis.

* Coronemus nos rosis (4) : * verbum dulcæ (5)!

* Crucior in hac flamma (6) : * verbum nequam et durum (7)! Fac conclusionem.

* Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii ; in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit (8).

* Præterit figura hujus mundi (9), * sicut flos fœni (10).

* Non extinguetur flamma (11).

* Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me (12). * Durus est hic sermo, et quis potest eum audire (13) ?

(1) Luc. 16. — (2) Rom. 8. — (3) Luc. 6. — (4) Sap. 2. — (5) Eccle. 6. — (6) Luc. 16. — (7) Eccle. 19. — (8) Eccle. 7. — (9) 1. Cor. 7. — (10) Jacob. 1. — (11) Ezech. 20. — (12) Luc. 9. — (13) Joan. 6.

* Discedite a me, maledicti, in ignem æternum (1). * Vox diei Domini amara : tribulabitur ibi fortis (2). Fac conclusionem.

* Eamus et nos ut moriamur cum eo (3); *exeamus igitur ad eum, improperium ejus portantes (4).

* Oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam (5); * per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei (6).

V. MEDITATIO.

DE ÆTERNITATE POENARUM INFERNI.

I. PUNCTUM.

Hujus æternitatis rationes. — Hæ rationes petuntur a termino in quo sunt damnati, et ab ira Dei æterna; — ab impossibilitate satisfaciendi pro peccatis, — a peccati reatu perseverante, — ab igne inextincto, — simul et ab immortalitate damnati, — ab inutilitate omnium pœnarum et operum.

* Ibunt hi in supplicium æternum (7), * In ignem æternum, * in domum æternitatis suæ (8) :

* Et in terram ad quam levant animam suam ut revertantur illuc, non revertentur (9).

(1) Matth. 25. — (2) Soph. 1. — (3) Joan. 11. — (4) Heb. 13. — (5) Luc. 24. — (6) Act. 14. — (7) Matth. 25. — (8) Eccle. 12. — (9) Jer. 22.

* Vocabuntur termini impietatis, et populus cui iratus est Dominus usque in æternum (1). * Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur (2);

* Non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti (3).

* Erit populus quasi esca ignis (4),* et ignis eorum non extinguetur.

Erit populus quasi esca ignis, * nec tamen consumetur (5). * Ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos : non liberabunt animam suam de manu flammæ (6). * Tunc incipient dicere montibus : Cadite super nos; et collibus : Operite nos (7), * et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira agni (8) : * quoniam venit dies magnus iræ ipsorum : et quis poterit stare ? * Quærent homines mortem, et non invenient eam : et desiderabunt mori, et mors fugiet ab eis. Non liberabunt animam suam de manu flammæ.

* Vacua est spes illorum, et labores sine fructu, et inutilia opera eorum (9) : * in nihilum computabuntur, * non habebunt spem.

* Infelices, * infelices supra modum, * usque ad supremum desolabuntur : * cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum. Non liberabunt animam suam de manu flammæ (10); * Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die judicii

(1) Mala. 1. --- (2) Job. 20. --- (3) Marc. 3. — (4) Isai. 9. --- (5) Job. 20. --- (6) Isai. 47. --- (7) Luc. 23. — (8) Apoc. 6. — (9) Sap. 3. — (10) Apoc. 20.

visitabit illos (1). * Dabit enim ignem, et vermes in carne eorum, ut urantur, et sentiant usque in sempiternum.

II. PUNCTUM.

Impii damnati lamentationes super æternitate suarum pœnarum. --- Damnatus frustra obsecrat misericordiam divinam ut sibi parcat, --- et justitiam, ut destruat illum funditus, --- miseriam suam nunquam finiendam deplorat, --- et variis maledictionibus detestatur nativitatem suam, — educationem, — et probæ vitæ incuriam.

* Deus magne et terribilis (2), * quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei (3)?

* Væ misero mihi (4), * quia tempus non erit amplius (5).

* Crucior in hac flamma. Væ misero mihi (6), * quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo: laboravi in gemitu meo, et requiem non inveni (7).

* Quis det ut veniat petitio mea, et quod expecto, tribuat mihi Deus (8)? * Et qui cœpit, ipse me conterat: solvat manum suam, et succidat me? * Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat, nec contradicam sermonibus sancti. * Quæ est enim fortitudo mea, ut

(1) Judith. 16. — (2) Dan. 9. — (3) Job. 14. — (4) Jer. 45. — (5) Apoc. 10. — (6) Luc. 16. — (7) Jer. 45. — (8) Job. 6.

sustineam? aut quis finis meus, ut patienter agam? Quis finis meus?

℣. Væ misero mihi! ℟. gustans gustavi paululum mellis, et ecce ego morior. Crucior in hac flamma, et ecce ego morior. Ecce ego morior (1), ℣. et adhuc tota anima mea in me est (2). ℟. Non moriar, sed vivam (3). ℣. Desperavi, nequaquam ultra jam vivam: quia crucior in hac flamma (4).

Gustans gustavi paululum mellis.

℣. Transierunt illa omnia tanquam umbra (5), ℟. et transire non possum (6).

Transierunt omnia, ℣. et justitia ejus manet in sæculum sæculi (7).

Transierunt omnia; ℟. tu autem, Domine, in æternum permanes (8); ℣. tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. Væ misero mihi.

℟. Maledicta dies, in qua natus sum (9). ℣. Maledictus vir, qui annuntiavit patri meo dicens: Natus est tibi puer masculus, ℟. qui non me interfecit a vulva, ut fieret mihi mater mea sepulchrum. ℣. Quare de vulva egressus sum, ut viderem laborem et dolorem?

Væ misero mihi, ℟. qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret (10): ℟. fuissem quasi non essem.

Quis finis meus? ℟. Quare factus est dolor meus

(1) I. Reg. 14. — (2) II. Reg. 1. — (3) Ps. 117. — (4) Job. 7. — (5) Sap. 5. — (6) Job. 19. — (7) Ps. 110. — (8) Ps. 101. — (9) Jer. 20. — (10) Job. 10.

perpetuus, et plaga mea desperabilis renuit curari (1)?

* Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii (2)? * Quare exceptus genibus? cur lactatus uberibus?

* Cur detestatus sum disciplinam, et increpationibus non acquievit cor meum (3), * nec audivi vocem docentium me, et magistris non inclinavi aurem meam? Væ misero mihi. Quis finis meus!

III. PUNCTUM.

Hominis peccatoris considerationes super æternitate impii damnati. — Peccator attendit, nullam habere damnatum justam causam de Deo conquerendi; — nullum finem posse expectari in æternitate; — vel qualicumque computatione fingi; — se vero furiosum esse, qui sic vivat æternæ damnationis periculo obnoxius.

* Quid clamas, quare factus est dolor meus perpetuus (4)? * Numquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum eo tempore, quo ducebat te per viam? Quid clamas? * non enim injustus Deus (5). * Numquid timens arguet te, et veniet tecum in judicium (6), * et non propter malitiam tuam plurimam, et infinitas iniquitates tuas?

* Quid clamas super contritione tua? Insanabi-

(1) Jer. 15. — (2) Job. 3. — (3) Prov. 5. — (4) Jer. 30. — (5) Heb. 6. — (6) Job. 22.

lis est dolor tuus (1) : ' non est qui salvet te. Quid clamas, quis finis meus (2)? ' Hæc dicit Dominus Deus (3); ' ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irrevocabilem : ' in manu forti, et in brachio extento, et in furore effuso regnabo super vos; ' quoniam ignem succendisti in furore meo, usque in æternum ardebit (4).

Quid clamas, quis finis meus? ' In longiturnis diebus, in multitudine temporis (5), ' post finem quadraginta annorum (6), ' nondum est finis (7). ' In his omnibus non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta (8). ' Hæc autem omnia initia sunt dolorum (9).

' Cum consummati fuerint mille anni (10): ' mille anni sicut unus dies. Nondum est finis (11). ' In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta (12).

' Arenam maris, et pluviæ guttas, et dies sæculi quis dinumeravit (13)? ' Numera stellas, si potes (14) : ' si quis potest hominum numerare pulverem terræ : ' Si plures fuerint anni, nondum est finis (15). ' In omnibus his non aversus est furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta (16).

' Dominus Deus addat ad hunc numerum multa millia, nondum est finis (17);

(1) Jer. 30. — (2) Isai. 47. — (3) Ezech. 21. — (4) Jer. 17. — (5) Bar. 4. — (6) Ezech. 29. — (7) Matth. 24. — — (8) Isai. 5. — (9) Matth. 24. — (10) Apoc. 20. — (11) II. Pet. 3. — (12) Isai. 9. — (13) Eccle. 1. — (14) Gen. 15. — (15) Lev. 25. — (16) Isai. 9. — (17) Deut. 1.

Sed perditus in æternum eris (1).

In æternum! * Temporibus æternis (2), * in sæculis æternis (3), * in perpetuas æternitates (4), * in æternum et ultra (5), * et ultra quam credi potest (6).

* Hæc est pars hominis impii a Domino Deo (7).

* Deus æterne (8), * quis novit potestatem iræ tuæ, et præ timore tuo iram tuam dinumerare (9)? * Ecce, Deus magnus vincens scientiam nostram: numerus annorum ejus inæstimabilis (10). Deus æterne, * justitia tua, justitia in æternum (11), * in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.

* Tu autem profane, impie, cujus venit dies in tempore iniquitatis præfinita (12), * neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es (13)? * Perdis animam tuam in furore tuo (14); * igni eris cibus (15) * in æternum et ultra (16).

* Age pœnitentiam (17); * id enim, quod in præsenti est, momentaneum et leve tribulationis nostræ (18).

Perdis animam tuam in furore tuo.

* Quasi a facie colubri fuge peccata : et si accesseris ad illa, suscipient te; perditus in æternum eris (19).

* Quæ videntur, temporalia sunt : quæ autem non videntur, æterna sunt (20). Age pœnitentiam.

(1) Jer. 51. — (2) Rom. 16. — (3) Isai. 26. — (4) Dan. 12. — (5) Exod. 15. — (6) Gen. 27. — (7) Job. 20. — (8) Dan. 13. — (9) Ps. 89. — (10) Job. 36. — (11) Ps. 118. — (12) Ezech. 21. — (13) Luc. 23. — (14) Job. 18. — (15) Ezech. 20. — (16) Mich. 4. — (17) Apoc. 2. — (18) II. Cor. 4. — (19) Eccle. 21. — (20) II. Cor. 4.

DUÆ

MEDITATIONES

PRO PRÆPARATIONE AD CONTRITIONEM PERFECTAM.

PRIMA MEDITATIO.

DE JUSTITIA ET MISERICORDIA DEI.

I. PUNCTUM.

De justitia Dei quæ magna et magnopere timenda esse arguitur ex variis exemplis. — Peccator se sistit præsentem justitiæ, et sanctitati Dei : et circa eas exercet fidem suam : --- deinde considerat, sibique aptat exemplum angelorum rebellium, --- exemplum Adæ ejusque posteritatis, --- exemplum hominum pene omnium tempore diluvii, --- exemplum Sodomorum, --- et aliorum privatorum hominum quos ipse novit : --- quibus exemplis si quis non cedat, concludit, id fieri non posse, --- nisi vel ex falsa spe effugiendi judicii divini, --- vel ex contemptu misericordiæ divinæ; --- ex qua tandem concludit, pœnitendum esse vitæ præteritæ.

* Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum (1), * intende voci oratio-

(1) Ps. 5.

nis meæ, Rex meus et Deus meus. * Quoniam ad te orabo, Domine mane exaudies vocem meam.

* Mane astabo tibi, et videbo : quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. * Mundi sunt oculi tui ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris (1).

* Odio sunt Deo impius et impietas ejus (2). * Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis (3).

* Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem (4). * Factum est prælium magnum in cœlo : Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et angeli ejus (5) : * et non valuerunt : neque locus inventus est eorum amplius in cœlo. * Projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, et satanas, qui seducit universum orbem : et projectus est in terram, et angeli ejus cum illo missi sunt : * et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli. * Non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium (6).

* Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer (7) ? * Dicebas in corde tuo : In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, * similis ero Altissimo. * Detracta est ad inferos superbia tua, * in momento, in ictu oculi (8), * sicut fulgur (9).

(1) Habac. 1. — (2) Sap. 14. — (3) Ps. 144. — (4) Job. 4. — (5) Apoc. 12. — (6) Judæ. 6. — (7) Isai. 14. — (8) 1. Cor. 15. — (9) Luc. 10.

* Si Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari (1), * in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine (2): * quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea (3)? * De mane usque ad vesperam succidentur : et quia nullus intelligit, in æternum peribunt.

* Vocavit Dominus Deus Adam, et dixit ei : Ubi es (4)? * Quis indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti? * Maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. * Spinas et tribulos germinabit tibi, * in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris. * Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, * ejecitque; * propterea per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors : et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt (5); * judicium ex uno in condemnationem.

* Adam exemplum meum (6). * Quanto magis abominabilis et inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem (7), * exterminabitur de populo suo (8)?

(1) II. Pet. 2. — (2) Judæ. — (3) Job. 4. — (4) Gen. 3. — (5) Rom. 5. — (6) Zach. 13. — (7) Job. 15. — (8) Exod. 30.

* Videns Dominus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore (1), * pœnituit eum quod hominem fecisset in terra; et tactus dolore cordis intrinsecus, * Delebo, inquit, hominem quem creavi, a facie terræ. * Ecce ego adducam aquas diluvii super terram, ut interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cœlum. * Factumque est diluvium : universi homines, * et cuncta in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt.

* Quis non timebit? * Si enim Deus (2) originali mundo non pepercit, sed octavum Noë justitiæ præconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens (3); * quis poterit salvus esse (4)?

* Si civitates Sodomorum et Gomorrhæorum in cinerem redigens eversione damnavit, exemplum eorum qui impie acturi sunt, ponens (5) : * magis autem eos qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, post acceptam notitiam veritatis (6), * quibus judicium jam olim non cessat, et perditio eorum non dormitat (7).

* Quod vidi narrabo (8). * Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani (9) : * et transivi, et ecce non erat : et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus. * Vidi impios sepultos, qui etiam cum adhuc viverent, in loco sancto

(1) Gen. 6. — (2) Amos. 3. — (3) II. Pet. 2. — (4) Matth. 19. — (5) II. Pet. 2. — (6) Heb. 10. — (7) II. Pet. 2. — (8) Job. 15. — (9) Ps. 36.

erant, et laudabantur in civitate quasi justorum operum (1). * Vidi eos, qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos (2), * flante Deo periisse, et spiritu iræ ejus esse consumptos; * qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt digni sunt morte (3).

* Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas; in quo enim judicas alterum, teipsum condemnas : eadem enim agis quæ judicas; * scimus enim quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt.

* Existimas autem hoc, o homo qui judicas eos qui talia agunt, et facis ea, quia tu effugies judicium Dei ?

* An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis ? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? * secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei.

* Sed quia patiens Dominus est, in hoc ipso pœniteamus, et indulgentiam ejus fusis lacrymis postulemus (4); * non enim quasi homo sic Deus comminabitur, neque sicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur. * Et ideo humiliemus illi animas nostras : et in spiritu constituti humiliato servientes illi, * dicamus flentes Domino, ut secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum misericordiam suam.

(1) Eccle. 8. --- (2) Job. 4. --- (3) Rom. 1. --- (4) Judith. 8.

II. PUNCTUM.

De singulari Dei misericordia erga peccatorem unum ex multis ad pœnitentiam reservatum. --- Homo pœnitens hanc in se gratiam agnoscit, --- eamque a sola Dei misericordia sibi provenisse confitetur. — Singulare autem ejus privilegium mirifice extollit comparando seipsum, cum multis peccatoribus, quibus non fuit concessa talis gratia, æque ac sibi licet indignissimo, --- et cum aliis multis, quibus non concedetur.

* Peccavi et vere deliqui, et ut eram dignus, non recepi (1).

* Quod autem nunc vivo (2), * et sensus meus redditus est mihi (3) : * unde hoc mihi (4) ? * Quis enim te discernit (5) ? * Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei (6).

* Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine (7); quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te : non expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam (8). * Vivens vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie.

* Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus (9). * Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus (10). * Repleta est malis ani-

(1) Job. 33. — (2) Gal. 2. — (3) Dan. 4. — (4) Luc. 1. — (5) 1. Cor. 4. — (6) Rom. 9. — (7) Ps. 100. — (8) Isai. 38. — (9) Thr. 3. — (10) Isai. 1.

ma mea : et vita mea inferno appropinquavit (1); * nisi quia Dominus adjuvit me : paulominis habitasset in inferno anima mea (2).

Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine. * Vidi eos qui operantur iniquitatem, flante Deo periisse (3).* Perdidisti omnes (4) : * tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me.

* Occidisti, nec pepercisti (5) : * vitam et misericordiam tribuisti mihi (6).

* Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt (7) : * tu autem eruisti animam meam, ut non periret : projecisti post tergum tuum omnia peccata mea (8).

* Non Deus volens iniquitatem tu es (9), * neque habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos : * odisti omnes qui operantur iniquitatem, projecisti (10), * perdidisti (11);

* Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam (12).

Ego autem, * vir peccator (13), * servus peccati (14), * in peccatis natus totus :

Ego autem, * abominabilis et inutilis homo (15), * vivens inter peccatores (16), * quorum primus ego sum (17) :

(1) Ps. 87. — (2) Ps. 93. — (3) Job. 4. — (4) Ps. 72. — (5) Thr. 3 — (6) Job. 10. — (7) Bar. 3. — (8) Isai. 38. — (9) Ps. 5. — (10) Isai. 2. — (11) Sap. 12. (12) Ps. 5. — (13) Eccle. 27. — (14) Joan. 8. — (15) Job. 15. — (16) Sap. 4. — (17) 1. Tim, 1.

* Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo (1).

* Ecce, inimici tui Domine, ecce, inimici tui peribunt, et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem (2); * perdes omnes qui loquuntur mendacium (3) : * non dimidiabunt dies suos; ego autem sperabo in te, Domine (4), et senectus mea in misericordia uberi (5).

* Qui autem reliqui fuerint, morientur, et non in sapientia; ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam (6).

* Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ (7). * Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus (8).

(1) Ps. 5. --- (2) Ps. 91. --- (3) Ps. 5. — (4) Ps. 54. --- (5) Ps. 91. --- (6) Job. 4. --- (7) Ps. 65. --- (8) Ps. 135.

II. MEDITATIO.

DE MISERICORDIA DEI ERGA PECCATORES POENITENTES.

PER COLLOQUIUM JESU CHRISTI ET PECCATORIS POENITENTIS.

I. PUNCTUM.

Divinæ misericordiæ primus effectus, peccatorum omnium remissio. --- Peccator ad imitationem filii prodigi, — peccatorum conscientia et miseria sua turbatus, --- anxius autem de venia, deliberat quid agat; — fiducia tamen erectus, se præsentem sistit Jesu, et ejus implorat misericordiam. --- Jesus consolatur et confirmat illum ex amore suo erga peccatores omnes. --- Peccator hunc sibi amorem deposcit. — Jesus ex eo amore, quem extollit comparatione matris, --- bonique pastoris, — remittit peccatori omnia peccata, --- et sibi gratulatur ejus conversionem; --- pœnitens hanc acceptat gratiam animo humili et contrito.

Peccator poenitens. * Dereliquisti Dominum, * fontem aquæ vivæ (1): * et nunc quid tibi vis in via Ægypti ut bibas aquam turbidam? * Miser factus sum (2). * Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo (3).

* In amaritudine est sermo meus (4): * Deus

(1) Jer. 2. — (2) Ps. 37. — (3) Luc. 15. — (4) Job. 23.

mollivit cor meum, et omnipotens conturbavit me; * idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor.

* Surgam, et ibo ad patrem meum (1).

* Quid dicam, aut quid respondebit mihi (2)?

* Iniquitatem meam ego cognosco (3) : major est iniquitas mea, quam ut veniam merear (4).

* Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater (5)....

Iniquitatem meam ego cognosco : * jam non sum dignus vocari filius.

* Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem (6)?

* Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum et coram te (7) : * Deus meus confundor, et erubesco levare faciem meam ad te (8).

* Sed miseretis omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam (9); * diligis enim omnia quæ sunt, et nihil odisti horum quæ fecisti. * Parcis autem omnibus : quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.

Jesus misericors. * Noli timere, quia redemi te (10); * ne timeas, quia ego tecum sum, confortavi te, et auxiliatus sum tibi.

* Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat (11). * Venit filius hominis

(1) Luc. 15. — (2) Isai. 38. — (3) Ps. 50. — (4) Gen. 4. — (5) Luc. 15. — (6) Ps. 12. — (7) Luc. 15. — (8) 1. Esd. 9. — (9) Sap. 11. — (10) Isai. 43. — (11) Ezech. 33.

quærere et salvum facere quod perierat (1). Non necesse habent sani medico, sed qui male habent. Non veni vocare justos, sed peccatores (2). * Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos (3).

Peccator poenitens. * Domine, jube me ad te venire. * Domine Deus miserator et misericors, patiens et multæ misericordiæ, et verax (4), * respice in me, et miserere mei, * converte me, et convertar (5). * Erravi sicut ovis quæ periit; quære servum tuum (6). * Dic animæ meæ: Salus tua ego sum (7); * sonet vox tua in auribus meis (8).

Domine, qui amas animas, jube me venire ad te.

Jesus misericors. * Veni (9); * charitate perpetua dilexi te : ideo attraxi te miserans (10). * Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui (11). * Ecce, in manibus meis descripsi te.

* Confide (12) : * ego sum pastor bonus (13), *qui habet centum oves : et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta-novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam (14)? * et cum invenerit eam, imponit in

(1) Luc. 19. — (2) Marc. 2. — (3) Matth. 11. — (4) Ps. 85. — (5) Jer. 31. — (6) Ps. 118. — (7) Ps. 34. — (8) Cant. 2. — (9) Matth. 14. — (10) Jer. 31. — (11) Isai. 49. — (12) Matth. 9. — (13) Joan. 10. — (14) Luc. 15.

humeros suos gaudens : * et veniens domum convocat amicos et vicinos, dicens illis : Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat ? * Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta-novem justis qui non indigent pœnitentia.

Ego sum pastor bonus, * confide fili, remittuntur tibi peccata tua (1). * Qui habet aures audiendi audiat : Congratulamini mihi omnes, quia inveni ovem quæ perierat (2); congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram; congratulamini mihi : * hic filius meus mortuus erat, et revixit : perierat, et inventus est.

Peccator pœnitens. * Peccavi in cœlum et coram te : * jam non sum dignus vocari filius tuus. Fac me sicut unum de mercenariis tuis.

Jesus misericors. Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua; * ergo saltem amodo voca me, Pater meus (3).

Peccator pœnitens. * Pater, peccavi in cœlum et coram te (4).

Pater, * Pater misericordiarum et Deus totius consolationis (5), Pater meus es tu, Deus meus, et susceptor salutis meæ (6).

(1) Matth. 9. — (2) Luc. 14. — (3) Jer. 3. — (4) Luc. 15. — (5) II. Cor. 1. — (6) Ps. 88.

II. PUNCTUM.

Divinæ misericordiæ erga peccatores pœnitentes secundus effectus. — Hominis per peccatum depravati integra sanatio. — Pœnitens agnoscit talem in seipso depravationem magno affectus doloris sensu ; — tantarum ægritudinum curationem ferventer et confidenter petit a Jesu ; hanc Jesus certam illi promittit : — ut autem impensius adhibeatur, rogat instanter pœnitens. — Monenti vero Jesu, ut jam sanus factus caveat a recidivo morbo, — ita fore pœnitens spondet.

Peccator poenitens. Pater, peccavi in cœlum et coram te ; * peccavi valde : sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egi nimis (1).

* Confusus sum et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ (2) ; * infixus sum in limo profundi, et non est substantia (3).

* Inimici mei animam meam circumdederunt (4) : * percusserunt me, et vulneraverunt me (5). * Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ (6).

* Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar : * quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea.

* Cor meum conturbatum est, dereliquit me

(1) II. Reg. 24. — (2) Jer. 31. — (3) Ps. 68. — (4) Ps. 16. — (5) Cant. 5. — (6) Ps. 37.

virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum. * Omne caput languidum, et omne cor mœrens (1) : * a planta pedis usque ad verticem non est sanitas.

* Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum : sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea (2), et anima mea turbata est valde : sed tu, Domine, usquequo? * Convertere, Domine, et eripe animam meam; * libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ (3) ; * sana animam meam, quia peccavi tibi (4).

* Sana me, Domine, et sanabor (5).

Domine, qui amas animas; * Domine, si vis, potes me mundare (6).

Jesus misericors. * Volo, mundare (7). * Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ut mederer contritis corde. * A vulneribus tuis sanabo te (8). * Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur : et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt (9).

Peccator poenitens. * Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam (10). Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. * Asperges me hyssopo, et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor. Amplius lava me, * non

(1) Isai. 1. — (2) Ps. 6. — (3) Ps. 50. — (4) Ps. 40. — (5) Jer. 17. — (6) Matth. 8. — (7) Isai. 61. — (8) Jer. 30. — (9) Isai. 1. — (10) Ps. 50.

tantum pedes meos, sed et manus et caput (1), * ut audiam vocem laudis (2) : * est mundus totus (3).

Jesus misericors. Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. * Ecce sanus factus es : jam noli peccare, ne deterius tibi contingat.

Peccator pœnitens. * Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo (4) ? * A mandatis tuis intellexi, propterea odivi omnem viam iniquitatis. * Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. * Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ.

III. PUNCTUM.

Divinæ misericordiæ erga peccatores pœnitentes tertius effectus. — Hominis restitutio in pristinum bonorum spiritualium statum. — Pœnitens revocat in memoriam felicem innocentiæ statum, ex quo excidit, — et ut in eum restituatur, quantum fieri potest enixe rogat. — Hanc pœnitenti promittit Jesus restitutionem, — et quæ sint ex ea proventura bona illum docet. — Inde pœnitens erumpit in affectus admirationis, gaudii, et fiduciæ.

Peccator pœnitens. * Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis (5).

* Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me (6) : * quando splendebat lucerna ejus super

(1) Joan. 13. — (2) Ps. 25. — (3) Joan. 13. — (4) Ps. 118. — (5) Gen. 18. — (6) Job. 29.

caput meum, et ad lumen ejus ambulabam in tenebris; * sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo: * quando erat omnipotens mecum.

Quis mihi tribuat? * Nonne tu qui solus es, Domine, qui amas animas (1)?

* Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei (2). * Dissipaverunt itinera mea: insidiati sunt mihi et prævaluerunt (3). * Domine, quando respicies? Restitue animam meam a malignitate eorum, a leonibus unicam meam (4).

* Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis (5), * redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me.

* Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te (6); a resistentibus dexteræ tuæ custodi me ut pupillam oculi; sub umbra alarum tuarum protege me, a facie impiorum qui me afflixerunt.

Jesus misericors. Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.

* Qui habet aures audiendi, audiat (7):

* Cito proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manum ejus, et calceamenta in pedes ejus: * et adducite vitulum saginatum, et occidite, et manducemus, et epulemur: * quia hic filius meus mortuus erat, et revixit.

(1) Job. 14. --- (2) Ps. 6. — (3) Job. 30. --- (4) Ps. 34. --- (5) Ps. 50. --- (6) Ps. 16. — (7) Luc. 8.

* Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua (1): * omnia peccata, quæ peccavit, non imputabuntur ei.

Confide, fili: * ego sum Dominus Deus tuus (2), faciens misericordiam in millia his qui diligunt me. * Convertam eos, quia miserebor eorum: et erunt sicut fuerunt quando non projeceram eos; ego enim Dominus Deus eorum, et exaudiam eos (3). * Et erunt quasi fortes Ephraim, et lætabitur cor eorum, quasi a vino: et lætabuntur, et exultabit cor eorum in Domino. * Confortabo eos in Domino, et in nomine ejus ambulabunt.

Confide, fili: * sponsabo te mihi in sempiternum: et sponsabo te mihi in justitia, et judicio, et in misericordia; et in miserationibus (4); * et sponsabo te mihi in fide: et scies quia ego Dominus.

* Tunc videbis, et affluës, et mirabitur et dilatabitur cor tuum (5); * tunc super omnipotentem deliciis affluës, et elevabis ad Deum faciem tuam (6). * Rogabis eum, et exaudiet te, et vota tua reddes. * Decernes rem, et veniet tibi, et in viis tuis splendebit lumen.

* Spiritus Domini super me: misit me ut mederer contritis corde (7); * ut consolarer omnes lugentes, * et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris: * et si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora (8).

(1) Ezech. 33. --- (2) Exod. 20. --- (3) Zach. 10. --- (4) Osee. 2. — (5) Isai. 60. --- (6) Job. 22. --- (7) Isai. 61. --- (8) II. Reg. 12.

Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua; * et cujus erunt optima quæque Israël? Nonne tibi (1)?

Peccator poenitens. * Quam magna misericordia Domini, et propitiatio illius convertentibus ad se (2)! * O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus (3)! * Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia (4).

* Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus, et consolatus es me (5). * Ecce Deus salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo: quia fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.

conclusio meditationis.

Grate inquirit, quid reddat Domino pro conversione sua, cujus gratiam expendit benedicens Deo, — et proponit multa, quæ ultro daret, si accepta forent Deo, — Jesus aperit quid requirat a pœnitente, nempe cor illius, — pœnitens humiliter stupet munus a Deo postulari tam indignum seipso: — insistit Jesus postulationi. — Paret, pœnitens offerendo religiosissime cor suum, — et confidendo ex multis rationibus, non despiciendum fore munus suum.

Peccator poenitens. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi (6)?

* Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus (7), * benedic

(1) 1. Reg. 9. — (2) Eccle. 17. — (3) Sap. 12. — (4) Rom. 5. — (5) Isai. 12. — (6) Ps. 115. — (7) Ps. 102.

anima mea Domino : et noli oblivisci omnes retributiones ejus, * qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, * qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia et miserationibus, * qui replet in bonis desiderium tuum : renovabitur ut aquilæ juventus tua.

* Non secundum peccata nostra fecit nobis : neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis; * quoniam secundum altitudinem cœli a terra corroboravit misericordiam suam super timentes se.

* Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras. * Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu Deo excelso? Numquid offeram ei holocautomata, et vitulos anniculos (1)? Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?

* Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges (2). * Si voluisses, sacrificium dedissem utique : holocaustis non delectaberis (3).

Si voluisses, * et bona mea (4), et quidem vi-

(1) Mich. 6. — (2) Ps. 15. — (3) Ps. 50. — (4) Luc. 12.

tam meam dedissem utique : holocaustis non delectaberis (1).

Quid dignum offeram Domino?

Jesus misericors. * Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : Utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo (2).

Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum : * Sacrificium Deo spiritus contribulatus (3).

Indicabo tibi quid Dominus requirat : * Præbe, fili mi, cor tuum mihi : et oculi tui vias meas custodiant (4).

Peccator poenitens. * Hæc dicit Dominus redemptor Israël, sanctus ejus, ad contemptibilem animam : Præbe, fili mi, cor tuum mihi (5).

* Quis Deus similis tui (6)? * Quid petis ut detur tibi (7)? * Cor insipiens (8), * cor pravum (9), * cor cum bestiis terræ positum (10), * contaminatum et sordidum (11).

Jesus misericors. * Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris. Præbe, fili mi, cor tuum mihi (12).

Peccator poenitens. Fiat, fiat (13); * fiat cor meum immaculatum (14), * dignum dilecto meo (15).

* Veni, Domine Jesu (16). * Paratum cor meum,

(1) Act. 26. — (2) Mich. 6. — (3) Ps. 50. — (4) Prov. 23. — (5) Isai. 49. — (6) Mich. 7. — (7) Est. 5. — (8) Isai. 44. — (9) Ps. 100. — (10) Dan. 5. — (11) Levit. 13. — (12) Act. 10. — (13) Ps. 40. — (14) Ps. 118. — (15) Cant. 7. — (16) Apoc. 22.

Deus (1) : * Domine Jesu, suscipe (2) * paratum cor meum (3),

* Ad destitutionem peccati (4), * ad pœnitentiam (5), * ad custodiendas justificationes tuas (6), * ad confitendum nomini tuo (7), * ad commoriendum et ad convivendum (8).

* Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus (9).

* Veni, dilecte mi : Domine Jesu suscipe * cor contritum et humiliatum (10).

* Quoniam tu, Domine, suavis, et mitis, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te (11), * cor contritum et humiliatum, Deus non despicies (12).

Domine, qui amas animas, cor contritum et humiliatum, non despicies.

* Redemisti me, Domine Deus veritatis (13) : * ne despicias partem tuam, quam redemisti tibi, cor contritum et humiliatum (14).

* Respice in testamentum tuum (15), in sanguinem testamenti tui (16), * et pretium redemptionis animæ : cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies, (17), * quia pretium sanguinis est (18).

* Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in æternum (19) : * quia misericordia tua magna est super me, et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

(1) Ps. 56. — (2) Act. 7. — (3) Ps. 56. — (4) Heb. 9. — (5) II. Cor. 7. — (6) Ps. 118. — (7) Ps. 141. — (8) II. Cor. 7. — (9) Cant. 7. — (10) Ps. 50. — (11) Ps. 85. — (12) Ps. 50. — (13) Ps. 30. — (14) Esth. 13. — (15) Ps. 73. — (16) Zach. 9. — (17) Ps. 48. — (18) Matth. 27. — (19) Ps. 85.

QUATUOR

MEDITATIONES

DE INCARNATIONE ET NATIVITATE CHRISTI.

PRIMA MEDITATIO.

EXERCITIUM FIDEI CIRCA HOC MYSTERIUM.

I. PUNCTUM.

Explicatur natura hujus mysterii. — Opus est magnum Dei, — qui voluit, — ut ad carnem usque villissimam — Verbum, suus vere filius in seipso infinitus, — et in omni genere perfectionum, — descenderet.

* Est scriptum in prophetis (1): ' Domine audivi auditionem tuam, et timui; Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud; in medio annorum notum facies: cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis (2). * Deus ab austro veniet, et sanctus de monte Pharan: operuit cœlos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra. ' Splendor ejus ut lux erit: cornua in manibus ejus. Ibi

(1) Joan. 6. — (2) Hab. 3.

abscondita est fortitudo ejus : * ante faciem ejus ibit mors, et egredietur diabolus ante pedes ejus.

* Impleta est hæc scriptura (1). * Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere (2). * Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ (3), * sicut locutus ad patres nostros, Abraham et semini ejus.

* Verbum caro factum est : Domine opus tuum, Verbum caro factum (4). * Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo (5). Opus tuum, * opus Excelsi (6), * opus Sancti sanctorum (7).

Verbum caro factum est. Caro! * Quid est caro (8)? * Caro infirma (9), * caro concupiscit adversus spiritum (10).

* Omnis caro immunda (11), * Omnis caro fœnum (12), * deficiet omnis caro (13). Verbum caro factum est.

Verbum! * Generationem ejus quis enarrabit (14)? * In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum (15) : * hoc erat in principio apud Deum; * omnia per ipsum facta sunt : et sine ipso factum est nihil, quod factum est; * in ipso vita erat, et vita erat lux

(1) Luc. 4. — (2) Gal. 4. — (3) Luc. 1. — (4) Joan. 1. — (5) Hab. 3. — (6) Eccle. 43. — (7) 1. Par. 6. — (8) Deut. 5. — (9) Matth. 26. — (10) Gal. 5. — (11) Ezech. 4. — (12) Isai. 40. — (13) Job. 34. — (14) Isai. 53. — (15) Joan. 1.

hominum : * et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt; * erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Verbum! * Incommunicabile nomen (1), * omne bonum (2), * imago Dei invisibilis (3), * splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ (4) :

* Candor lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius (5).

Verbum! * Vere filius Dei (6), * incomprehensibilis cogitatu (7),

* Et cœli cœlorum capere eum nequeunt (8);

* Beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium (9);

* Qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem : quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest : cui honor et imperium sempiternum;

* Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio (10);

* Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo (11).

* Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius adversus eum (12); * hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israël dilecto suo.

(1) Sap. 14. — (2) Exod. 33. — (3) Col. 1. — (4) Heb. 1. — (5) Sap. 7. — (6) Matth. 14. — (7) Jer. 32. — (8) II. Par. 2. — (9) I. Tim. 6. — (10) Jac. 1. — (11) Phil. 2. — (12) Bar. 3.

* Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.

* Inclinavit cœlos et descendit (1).

Et descendit * Ab itineribus æternitatis ejus (2), * De sanctuario, et de excelso cœlorum habitaculo (3); * A regalibus sedibus in mediam exterminii terram prosilivit (4) : * Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus (5).

Et descendit * Quam angeli minoratus (6) * In similitudinem hominum factus (7) : * Humiliavit semetipsum, * Semetipsum exinanivit, Formam servi accipiens, * In similitudinem carnis peccati (8).

* A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris (9).

II. PUNCTUM.

Expenditur tam stupendus descensus Dei ad hominem. — Admiratio potentiæ Dei in tali opere. — Comparatio regis redacti ad statum vitæ belluinæ, — et filii Dei depressi usque ad statum vitæ humanæ, — qua, supra omnem rationis captum, factus est tam vere homo quam erat Deus.

* Dictum est antiquis (10) : * Deus ego, et non homo (11); * ego Dominus, et non mutor (12).

(1) Ps. 17. — (2) Hab. 3. — (3) Deut. 26. — (4) Sap. 18. — (5) Ps. 86. — (6) Heb. 2. — (7) Phil. 2. — (8) Rom. 8. — (9) Ps. 117. — (10) Matth. 5. — (11) Osee. 11. — (12) Mal. 3.

* Novissime autem misit filium suum (1), * factum ex muliere. Verbum caro factum est (2) : * hæc mutatio dexteræ Excelsi (3); * fecit potentiam in brachio suo (4).

* Quis audivit unquam tale (5) ?

* Scriptum est per prophetam (6) :

* Vox de cœlo ruit : tibi dicitur Nabuchodonosor rex : Regnum tuum transibit a te (7), * et ab hominibus ejicient te, et cum bestiis et feris erit habitatio tua : fœnum quasi bos comedes. *Sermo completus est super Nabuchodonosor.

* Majus his videbis (8) * in mysterio Christi (9): * quia major sit Deus homine (10).

* Unigenitus filius, qui est in sinu Patris (11), * verus Deus (12), * inclinavit cœlos et descendit (13), * in similitudinem hominum factus (14).

Et descendit * Ad opprobrium eorum (15), * Ad meas miserias (16), * Ad nostram humilitatem (17), * Ad paupertatem (18), * Usque ad mortem, mortem autem crucis (19).

Verbum caro factum est. * Quis vidit huic simile (20)? * Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras (21)? * aut quæ pars diviti ad pauperem (22)?

(1) Matth. 21. — (2) Gal. 4. — (3) Ps. 76. — (4) Luc. 1. — (5) Isai. 66. — (6) Matt. 2. — (7) Dan. 4. — (8) Joan. 1. — (9) Ephes. 3. — (10) Job. 33. — (11) Joan. 1. — (12) 1. Joan. 5. — (13) II. Reg. 22. — (14) Philip. 2. — (15) Ezech. 21. — (16) Job. 30. — (17) Judith. 6. — (18) Deut. 15. — (19) Philip. 2. — (20) Isai. 66. — (21) II. Cor. 6. — (22) Eccle. 13.

* Audite hæc omnes gentes (1): * Simul in unum dives et pauper.

* Hic est Filius Dei (2), Filius hominis; Verbum, Caro; * Antiquus dierum (3), * Novissimus Adam (4); * Dominus dominorum (5), * Formam servi accipiens (6); * Magnus Dominus et laudabilis nimis (7), * Parvulus in millibus (8); * Portans omnia verbo virtutis suæ (9), * qui portatur ad victimam (10).

* Tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit (11). * Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? * Eum autem qui modico, quam angeli, minoratus est, videmus, * puerum cum Maria matre ejus (12), * fugentem ubera matris (13), * pannis involutum, et positum in præsepio (14).

In præsepio! * Domine Deus (15), * si cœlum et cœli cœlorum non te capiunt, quanto magis domus ista?

(1) Ps. 48. — (2) Joan. 1. — (3) Dan. 7. — (4) 1. Cor. 15. — (5) Apoc. 17. — (6) Philip. 2. — (7) Ps. 47. — (8) Mich. 5. — (9) Heb. 1. — (10) Jer. 11. — (11) Heb. 1. — (12) Matth. 2. — (13) Cant. 8. — (14) Luc. 2. — (15) II. Par. 6.

III. PUNCTUM.

Fidem hujus mysterii admittit anima christiana. — Actus fidei. — Regulæ morum.

* Ergone credibile est, ut habitet cum Deus hominibus super terram (1)? * non in manufactis templis (2) : * hoc parum visum est (3);

Ut habitet Deus cum hominibus super terram ? * in domibus nostris (4), * in plateis nostris (5) : * sed et hoc parum visum est (6);

Ut habitet Deus cum hominibus super terram ? * In carne nostra mortali (7), * Factus ex semine David secundum carnem (8), * Habitu inventus ut homo (9), * Subditus illis (10), * Manducans et bibens (11), * per civitates et castella docens (12).

Ergone credibile est ? * Manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria (13).

Creditum est in mundo ! * Credis hoc (14) ? * Credo, filium Dei esse Jesum Christum (15), * infantem positum in præsepio (16); * utique Do-

(1) II. Par. 6. — (2) Act. 17. — (3) II. Reg. 7. — (4) Mich. 5. — (5) Luc. 13. — (6) I. Par. 17. — (7) II. Cor. 4. — (8) Rom. 1. — (9) Philip. 2. — (10) Luc. 2. — (11) Matth. 11. — (12) Luc. 13. — (13) I. Tim. 3. — (14) Joan. 12. — (15) Act. 8. — (16) Luc. 2.

mine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti (1) : * testimonia tua credibilia facta sunt nimis (2).

* Tu credis in filium Dei (3)? * Bene facis : et dæmones credunt, et contremiscunt (4); * ubi est timor tuus (5)?

* Facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum et dicentium (6) : * Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. * Quid tibi et paci (7)? * Qui perversi cordis est, non inveniet bonum (8). * Quid gloriaris in malitia qui potens es iniquitate (9)? * Dilexisti malitiam super benignitatem : * gloriam hominum magis quam gloriam Dei (10).

* Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui (11), * Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui (12)!

Tu credis in filium Dei? * Parvulus natus est nobis (13) : * iste est Deus tuus (14) * in præsepio (15), * Princeps pacis (16), * sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus (17).

* Clamitat (18), * audi. * Clamitat : * Detestor superbiam (19). * Ecce ego ad te, superbe (20) : * Exaltatus autem humiliatus sum (21). * Vulpes

(1) Joan. 11. — (2) Ps. 92. — (3) Joan. 9. — (4) Jac. 2. — (5) Job. 4. — (6) Luc. 2. — (7) IV. Reg. 9. — (8) Prov. 17. — (9) Ps. 51. — (10) Joan. 12. — (11) Isai. 1. — (12) Deut. 32. — (13) Isai. 9. — (14) II. Esd. 9. — (15) Luc. 2. — (16) Isai. 9. — (17) II. Reg. 23. — (18) Prov. 8. — (19) Amos. 6. — (20) Jer. 50. — (21) Ps. 87.

foveas habent, et volucres cœli nidos : filius autem hominis non habet ubi caput reclinet (1). ⁂ Humilia te (2) : ⁂ cadet superbus, et corruet, et non erit qui suscitet (3).

Iste est Deus tuus, ⁂ et vocem ejus audis (4). ⁂ Quid gloriaris (5)? ⁂ quid superbit terra et cinis (6)?

⁂ Ecce Magi ab oriente venerunt Jerosolymam (7), ⁂ dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum? ⁂ Invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum. ⁂ Humiliare Deo (8); ⁂ odibilis coram Deo est et hominibus superbia.

⁂ Apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera aurum, thus, et myrrham (9); ⁂ quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet (10)?

⁂ Cor humile (11), ⁂ Cor contritum (12), ⁂ Cor docile (13), ⁂ Cor fidele (14).

(1) Luc. 9. — (2) Eccle. 3. — (3) Jer. 50. — (4) Joan. 3. — (5) Jer. 49. — (6) Eccle. 10. — (7) Matth. 2. — (8) Eccle. 13. — (9) Matth. 2. — (10) Job. 35. — (11) Eccle. 25. — (12) Ps. 50. — (13) III. Reg. 3. — (14) II. Esd. 9.

II. MEDITATIO.

EXERCITIUM CHARITATIS.

I. PUNCTUM.

Manifestatur in hoc mysterio amor Dei erga homines. — Exponitur generatio Christi secundum carnem; — et inter divinas perfectiones ibi absconditas, — Dei amorem mirifice elucere agnoscitur.

* Sic Deus dilexit mundum, et filium suum unigenitum daret (1) : * Christi autem generatio sic erat (2):

Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph: antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. * Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. * Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est: * pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. * Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum a Domino per Prophetam dicentem:

(1) Joan. 3. — (2) Matth. 1.

* Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium : et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.

* Impleti sunt dies ut pareret (1) : * et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio : quia non erat eis locus in diversorio. * Cum ergo natus esset Jesus in Bethleem Juda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam (2), * dicentes : Ubi est qui natus est Rex Judæorum?

* O Reges (3), * Reges Tharsis et Insulæ, Reges Arabum et Saba (4), * ibimus vobiscum; audivimus enim quoniam Deus vobiscum est (5), * et venimus adorare eum (6).

* Interrogo ergo : Ubi est qui natus est Rex Judæorum (7)?

* Ubi est domus Principis (8)? * Ubi est Deus? * Digne eum invenire non possumus.

* Verbum caro factum est (9). * Exinanivit semetipsum (10) : * egenus factus est, cum esset dives(11) : * abscondita est fortitudo ejus (12) : * sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (13) : * posuit tenebras latibulum suum (14). * Vere tu es Deus absconditus, Deus Israël salvator (15).

* Quin imo (16), * Deus gloriæ apparuit (17),

(1) Luc. 2. — (2) Matth. 2. — (3) Sap. 6. — (4) Ps. 71. — (5) Zach. 8. — (6) Matth. 2. — (7) Act. 10. — (8) Job. 21. — (9) Joan. 1. — (10) Philip. 2. — (11) II. Cor. 8. — (12) Hab. 3. — (13) Col. 2. — (14) Ps. 17. — (15) Isai. 45. — (16) I. Reg. 20. — (17) Act. 7.

* apparuit gratia Dei salvatoris nostri omnibus hominibus (1), * benignitas et humanitas apparuit, * vita manifestata est (2). * Deus charitas est : apparuit charitas, * apparuit Deus (3),

* Deus pacis et dilectionis (4), Deus qui dives est in misericordia (5), * Deus salvos faciendi (6).

* Magnus Dominus et laudabilis nimis (7), * parvulus natus est nobis (8), * amabilis super amorem (9), * propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos (10).

Verbum caro factum est : * et manifeste magnum est pietatis sacramentum quod manifestatum est in carne (11). * Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium : et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri (12).

* Cantate Domino canticum novum : quia mirabilia fecit ; Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus (13) : notum fecit Dominus salutare suum ; in conspectu gentium revelavit justitiam suam ; * recordatus est misericordiæ suæ et veritatis suæ domui Israël. Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.

(1) Tit. 2. — (2) 1. Joan. 1. — (3) II. Par. 1. — (4) II. Cor. 13. — (5) Ephes. 2. — (6) Ps. 67. — (7) Ps. 95. — (8) Isai. 9. — (9) II. Reg. 1. — (10) Ephes. 2. — (11) I. Tim. 3. — (12) Isai. 52. — (13) Ps. 97.

II. PUNCTUM.

Colloquium hominis et Jesu super hac tanti amoris manifestatione. — Homo tantum amorem sibi gratulatur, — respectu trium personarum sanctissimæ Trinitatis, — ejusque a Jesu, qui specialiter Deus noster dicitur, perfectiorem petit notitiam. — Jesus exhibes se Deum homini, — simul et hominem factum, — ad gloriam Dei patris sui, — et pro amore hominum, — quibuscum conversari, sibi in deliciis esse testatur: — adeoque illos ad mutuum amorem invitat.

Homo. * Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes (1):

* Terra dedit fructum suum, * Salutis fructum (2), * Justum tuum (3).

* Terra mota est; etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinaï, a facie Dei Israël. Terra dedit fructum suum (4); * mater pulchræ dilectionis (5) peperit filium suum (6).

* Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus (7);

Benedicat nos Deus * Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis (8); * sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret (9): * misit filium suum factum ex muliere (10).

(1) Ps. 66. — (2) Eccle. 1. — (3) Isai. 62. — (4) Ps. 67. — (5) Eccle. 24. — (6) Luc. 2. — (7) Ps. 66. — (8) II. Cor. 1. — (9) Joan. 3. — (10) Gal. 4.

Benedicat nos Deus, * paraclitus Spiritus sanctus (1); * quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est (2). * Et Angelus dixit ei : Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei (3).

Benedicat nos Deus, Deus noster, * Filius Dei (4), * Homo natus (5),

Deus noster, * novissimus Adam (6) :

Deus noster, * quasi unus ex nobis factus (7) :

Deus noster, frater enim et caro nostra est.

* Jesu fili Dei altissimi (8), — * Fili David (9),

* Domine mi (10), — * Frater mi (11), * Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, et facies decora. (12) * Loquere, Domine, quia audit servus tuus; loquere Domine (13), * quæ fecisti magnalia : Deus, quis similis tibi (14)?

* Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, et inveniam gratiam ante oculos tuos (15).

* Deus misereatur nostri, et benedicat nobis : illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri (16) : * ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.

Loquere, Domine, quia audit servus tuus. * Tu quis es (17)?

(1) Joan. 14. --- (2) Matth. 1. --- (3) Luc. 1. --- (4) Sap. 2. --- (5) Ps. 86. — (6) 1. Cor. 15. — (7) Gen. 3. — (8) Marc. 5. — (9) Matth. 10. — (10) Esth. 14. — (11) II. Reg. 1. --- (12) Cant. 2. --- (13) 1. Reg. 3. — (14) Ps. 70. — (15) Exod. 33. — (16) Ps. 66. — (17) Joan. 8.

* Dixit Jesus. * Principium qui et loquor vobis; * ego enim ex Deo processi, * in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum (1), * in lumine lumen (2). * lumen indeficiens (3), * imago Dei invisibilis (4) : * qui videt me, videt et patrem (5) : * ego in patre, et pater in me est.

* Sum quidem et ego mortalis homo, similis omnibus, et ex genere terreni illius, qui prior factus est, et in ventre matris figuratus sum caro (6) ; * et ego natus accepi communem aërem, et in similiter factam decidi terram, et primam vocem similem omnibus emisi plorans.

* Tunc dixi : Deus meus (7), * hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi (8) : * holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. * Ecce venio. In capite libri scriptum est de me (9), * ut facerem voluntatem tuam : Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei. * Narrabo nomen tuum fratribus meis (10), * ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi : quia dilexisti me ante constitutionem mundi (11) : ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.

* O viri, ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum(12).

* Ego sapientia * ab æterno ordinata, * ex ore

(1) Ps. 109. — (2) Ps. 35. — (3) Eccle. 24. — (4) Col. 1. — (5) Joan. 14. — (6) Sap. 7. — (7) Ps. 39. — (8) Heb. 10. — (9) Ps. 39. — (10) Ps. 21. — (11) Joan. 17. — (12) Prov. 8.

Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam (1). * Quando præparabat cœlos aderam : quando certa lege, et gyro vallabat abyssos (2) : * quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum : * quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos : quando appendebat fundamenta terræ. * Cum eo eram cuncta componens : * et deliciæ meæ esse cum filiis hominum, * factum ex muliere (3).

* Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus : et deliciæ meæ esse cum filiis hominum (4), infantem pannis involutum (5).

* Mecum sunt divitiæ et gloria, opes superbæ et justitia : et deliciæ meæ esse cum filiis hominum (6), * positum in præsepio (7), * despectum et novissimum virorum (8).

* Per me Reges regnant, et legum conditores justa decernunt (9); * per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam : et deliciæ meæ esse cum filiis hominum, * factum sub lege (10).

* Delectabar per singulos dies (11) * in sinu patris : et deliciæ meæ esse cum filiis hominum (12), virum dolorum et scientem infirmitatem (13).

(1) Eccle. 24. — (2) Prov. 8. — (3) Gal. 4. — (4) Prov. 8. — (5) Luc. 2. — (6) Prov. 8. — (7) Luc. 2. — (8) Isai. 53. — (9) Prov. 8. — (10) Gal. 4. — (11) Prov. 8. — (12) Joan. 1. — (13) Isai. 53.

* In viis justitiæ ambulo, in medio semitarum judicii (1), * sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus : et deliciæ meæ esse cum filiis hominum (2), * in similitudinem carnis peccati (3).

O viri, ad vos clamito, vox mea ad filios hominum :

* In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis (4).

O viri, * venite ad me omnes (5);

O viri, sum quidem et ego mortalis homo : * considerate quod os vestrum et caro vestra sum (6) : * et mihi est cor sicut et vobis (7).

O viri, * fratres mei vos (8), * ego sum frater vester (9) : * Nolite pavere; pro salute enim vestra misit me Deus. * Fratres meos quæro : in funiculis Adam traham eos, in funiculis charitatis.

Venite ad me pannis involutum vinculis charitatis, Venite in vinculis charitatis : Mihi est cor sicut et vobis. * Cor meum jungatur vobis in vinculis charitatis (10).

* Ignem veni mittere in terram : et quid volo nisi ut accendatur (11) ?

*Ego diligentes me diligo, diligo(12)*prior(13); * sicut dilexit me pater, et ego dilexi vos : manete in dilectione mea, in vinculis charitatis (14).

(1) Prov. 8. — (2) Heb. 7. — (3) Rom. 8. — (4) Osee. 11. — (5) Matth. 11. — (6) Judic. 9. — (7) Job. 12. — (8) II. Reg. 19. — (9) Gen. 45. — (10) I. Par. 12. — (11) Luc. 12. — (12) Prov. 8. — (13) I. Joan 4. — (4) Joan. 15.

III. PUNCTUM.

Ad amorem Jesu homo sese excitat. — Rationes hujus amoris. — Vilitas hominis quem Deus sic dilexit. — Dei erga homines amoris, mira excellentia. — Bonitas qua nos ipse suo amore prævenit. — Charitas qua hominem etiam inimicum dilexit. — Majestas præpotens Dei, qui hominem sibi prorsus inutilem dilexit. — Lex redamandi. — Inclinatio quam pares habent ad mutuum amorem.

* Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra (1)? * Quid est homo quod memor es ejus? aut filius hominis quoniam visitas eum, * in corpore carnis ejus(2)? * Tanquam momentum stateræ sic est ante te orbis terrarum, et tanquam gutta roris antelucani quæ descendit in terram (3) : * et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuo (4)! * Sic Deus dilexit mundum (5); * ama itaque Dominum Deum tuum (6).

* Majorem hac dilectionem nemo habet (7). * Expoliavit se Jonathas tunica, qua erat indutus, et dedit eam David, et reliqua vestimenta sua usque ad gladium et arcum suum, et usque ad balteum (8) : * parva sunt ista (9). * Venit Christus (10), * exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum fac-

(1) Ps. 8. — (2) Col. 1. — (3) Sap. 11. — (4) Job. 14. — (5) Joan. 3. — (6) Deut. 11. — (7) Joan. 15. — (8) 1. Reg. 18. — (9) II. Reg. 12. — (10) Joan. 7.

tus (1). * Anima Jonathæ conglutinata est animæ David (2) : * leve est hoc (3), * Verbum caro factum est (4) : * itaque jam non sunt duo. Verbum caro factum est (5), * ut sint consummati in unum. Sic Deus dilexit mundum; ama itaque Dominum Deum tuum (6).

* In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum (7). * In hoc est charitas : non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. Sic Deus dilexit mundum; ama itaque Dominum Deum tuum.

* Jesu fili Dei (8), * in hunc mundum venisti (9) pro me : quam admirabile est nomen tuum (10)! * Quid enim feci, et quid invenisti in me (11)? * Num me invenisti inimicum tibi? Sic Deus dilexit mundum (12), * cum inimici essemus; Ama itaque Dominum Deum tuum (13).

* Opus ei non erat (14) : * suspice cœlum et intuere, et contemplare æthera quod altior te sit (15). * Si peccaveris, quid ei nocebis : et si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? * Porro si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Sic Deus dilexit mundum; ama itaque Dominum Deum tuum.

(1) Philip. 2. — (2) I. Reg. 18. --- (3) Ezech. 8. — (4) Joan. 1. --- (5) Matth. 19. --- (6) Joan. 17. --- (7) I. Joan 4. --- (8) Matth. 8. — (9) Joan. 11. — (10) Col. 2. — (11) I. Reg. 29. — (12) III. Reg. 21. --- (13) Rom. 5. --- (14) Joan. 2. — (15) Job. 35.

* Si sic Deus dilexit nos, quod debetis reddite ei (1), * Quid est quod reddere debeamus ei (2)? * Amorem (3). * Hæc est lex Adam (4) : * Ego diligentes me diligo; ama itaque Dominum Deum tuum (5).

* Omne animal diligit simile sibi : sic et omnis homo proximum sibi (6). * Omnis caro ad similem sibi conjungetur, et omnis homo simili sui sociabitur; ama itaque Dominum Deum tuum, * factum ex mulicre (7), * similem tui (8). * Conjungere Deo (9), * qui similis tui est (10); in amore ejus delectare jugiter (11).

* Mihi factus est frater (12); * magis amicus erit quam frater; ama itaque Dominum Deum tuum (13).

*Diligam te, Domine (14), Diligam te * propter temetipsum (15);

Diligam te, * quia dilexisti me (16);

Diligam te * similem filio hominis (17).

* Cum sim pulvis et cinis, diligam te (18), * fratrem meum sugentem ubera matris meæ (19). Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti (20); * beati omnes qui diligunt te (21).

(1) 1. Joan. 4. --- (2) 1. Reg. 6. — (3) Gen. 39. — (4) II. Reg. 7. --- (5) Prov. 8 --- (6) Eccli. 13. — (7) Gal. 4. --- (8) Deut. 18. --- (9) Eccli. 2. --- (10) Job. 35. — (11) Prov. 5. — (12) Eccli. 29. — (13) Prov. 18. — (14) Ps. 17. --- (15) Dan. 9. — (16) Joan. 17. — (17) Apoc. 1. — (18) Gen. 18. — (19) Cant. 8. — (20) Luc. 11. --- (21) Job. 13.

TERTIA MEDITATIO.

EXERCITIUM SPEI.

I. PUNCTUM.

Beneficium incarnationis filii Dei æstimatur ex desideriis sanctorum hominum veteris Testamenti. — Desideria quibus patriarchæ et prophetæ ardebant videre Filium Dei incarnatum. — Felicitas hominum qui posterioribus temporibus ejusdem incarnationis fructus perceperunt.

* Filius Dei venit (1).

* Beati oculi qui vident quæ vos videtis (2) : * multi Prophetæ et Reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt. * Expectabant redemptionem Israel. * Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus : sed a longe eas aspicientes et salutantes (3), clamaverunt ad Deum, dicentes (4) : * Domine, mitte quem missurus es (5); * Emitte agnum Domine, dominatorem terræ (6); * Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra, et germinet salvatorem.

* Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis (7).

(1) 1. Joan. 5. — (2) Luc. 10. — (3) Heb. 11. — (4) Judith. 7. — (5) Exod. 4. — (6) Isai. 16. — (7) Ps. 84.

* Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam (1); * mitte illam de cœlis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, et mecum laboret; * scit enim illa omnia, et intelligit, et deducet me in operibus meis sobrie, et custodiet me in sua potentia : * et erunt accepta opera mea.

* Qui regis Israel, intende : qui deducis velut ovem Joseph; qui sedes super cherubim, manifestare (2) * coram Ephraïm, Benjamin, et Manasse; excita potentiam tuam, et veni, et salvos facias nos.

* Utinam dirumperes cœlos, et descenderes (3). Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te (4)?

* Sunt orationes sanctorum (5).

* Cupierunt videre, et non viderunt (6) : non acceperunt repromissionem (7), * Deo pro nobis melius aliquid providente.

* Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (8). * Intravit et exivit inter nos Dominus Jesus (9) : * nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus (10), *usque ad consummationem sæculi.

* Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a patre (11), gloriam * Christi Jesu spei nostræ (12); vidimus *plenum gratiæ et veritatis (13).

(1) Sap. 9. — (2) Ps. 79. — (3) Isai. 64. — (4) Cant. 8. — (5) Apoc. 5. — (6) Matth. 13. — (7) Heb. 11. — (8) Joan. 1. — (9) Act. 1. — (10) Matth. 1. — (11) Joan. 1. — (12) 1. Tim. 1. — (13) Joan. 1.

* Parvulus natus est nobis (1); * magnus fortitudine, et judicio, et justitia, et enarrari non potest (2); * ideo timebunt eum viri, et non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes. * In ipso sperabunt pauperes populi ejus (3), et simplices possidebunt bona ejus (4):

* Ego autem sperabo in te Domine (5), * in paupertate mea (6), * in simplicitate cordis mei (7).

* Veni, et super nos regnum accipe (8); Veni, * expectatio gentium (9), * expectatio mea (10); Veni, * quia factus es spes mea (11).

Veni : anima mea sicut terra : aperiatur terra, et germinet salvatorem (12).

Veni : * anima mea sicut terra sine aqua tibi : rorate cœli desuper, et nubes pluant justum.

(1) Isai. 9. — (2) Job. 37. — (3) Isai. 14. — (4) Prov. 28. — (5) Ps. 54. — (6) 1. Par. 22. — (7) Gen. 20. — (8) Judic. 9. — (9) Gen. 49. — (10) Ps. 38. — (11) Ps. 60. — (12) Ps. 142.

II. PUNCTUM.

Æstimatur tantum beneficium ex bonis quæ complectitur. Sunt ipsiusmet Christi bona, — quæ universa ex ejus plenitudine derivantur in nos, — conjunctos illi natura et dilectione. — Sunt autem illa præsertim, — gratia seu amicitia Dei, quam nobis Jesus restituit, — et veritas qua nos illuminat et regit, tum per suam doctrinam, — tum per sua exempla; — unde homo se securum, fortem, ac felicem putat.

* Dixit Ecclesiastes (1) : * Væ tibi terra, cujus rex puer est.

* Dixit angelus : Nolite timere; ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo (2) : * quia natus est vobis hodie salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David ; * et hoc vobis signum : Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio.

Ecce gaudium magnum; * parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus : et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis (3) : * multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis; super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum : zelus Domini exercituum faciet hoc.

(1) Eccle. 1. — (2) Luc. 2. — (3) Isai. 9.

* Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret (1) : * quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit (2)? * Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare (3), * et per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.

* Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a patre, plenum gratiæ et veritatis (4) : * quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (5), et de plenitudine ejus nos omnes accepimus (6); * infinitus enim thesaurus est hominibus (7).

* Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens (8) : * Nuntiabo nomen tuum fratribus meis : in medio Ecclesiæ laudabo te; * et iterum : Ego ero fidens in eum; et iterum : Ecce ego et pueri mei quos dedit mihi Deus, * Pater, * tui sunt (9), * et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt; * ego in eis, et tu in me. * Notum feci eis nomen tuum, et notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.

* Lex per Moïsen data est, gratia per Jesum Christum facta est.

Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus (10), * secundum divitias gratiæ ejus (11).

(1) Joan. 3. — (2) Rom. 8. — (3) Col. 1. — (4) Joan. 1. — (5) Col. 2. — (6) Joan. 1. — (7) Sap. 7. — (8) Heb. 2. — (9) Joan. 17. — (10) Tit. 2. — (11) Ephes. 1.

quæ superabundavit in nobis. * Gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus (1); * infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei (2).

* Veritas per Jesum Christum facta est (3); * ecce vir, oriens nomen ejus (4). * Surge, illumina Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est (5) : * et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. * Vox facta est de nube, dicens : Hic est filius meus dilectus, ipsum audite (6); * ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus (7).

* Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus (8); * et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum (9). * Præibit in via justitiæ (10). * Cœpit Jesus facere (11), * factus obediens (12), *mitis et humilis corde (13), *egenus factus, cum esset dives. Surge qui dormis(14): * gloria magna est sequi Dominum (15).

* Quid est homo, ut sequi possit regem factorem suum (16)?

* Apud homines hoc impossibile est : apud Deum autem omnia possibilia sunt (17). *Qui se-

(1) Rom. 5. — (2) Sap. 7. — (3) Joan. 1. — (4) Zach. 6. — (5) Isai. 60. — (6) Luc. 9. — — (7) Isai. 55. — (8) Ephes. 5. — (9) Isai. 30. — (10) Eccli. 4. — (11) Act. 1. — (12) Philip. 2. — (13) Matth. 11. — (14) II. Cor. 8. — (15) Eccli. 23. — (16) Eccle. 2. — (17) Matth. 19.

quitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ (1). * Bonus Dominus, et confortans (2); * Deus est enim qui operatur et velle, et perficere pro bona voluntate (3).

* Eamus et sequamur (4).

* Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo (5); * dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos. * Fortitudo mea et laus mea Dominus : et factus est mihi in salutem. * O Domine, salvum me fac, o Domine bene prosperare; * trahe me, post te curremus (6).

Gloria magna est sequi Dominum.

IV. MEDITATIO.

PRO EXERCITIO SPEI.

I. PUNCTUM.

Canticum laudis et gratiarum actionis pro liberatione et beneficiis Christi Salvatoris.

* Verbum caro factum est (7); * Verbum misit Deus filiis Israël annuntians pacem (8) : transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc Ver-

(1) Joan. 8. — (2) Nah. 1. — (3) Philip. 2. — (4) Deut. 13. — (5) Ps. 117. — (6) Cant. 1. — (7) Joan. 1. — (8) Act. 10.

bum (1), * Verbum Dei (2), * Verbum vitæ (3), * Verbum salutis (4) :

Hoc Verbum, * quod Dominus ostendit nobis (5) : Hoc Verbum, quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt (6).

* Gaudium magnum (7) ! Videamus * infantem positum in præsepio. * Ecce Deus noster iste : expectavimus eum, et salvabit nos; iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimus et lætabimur in salutari ejus (8).

Gaudium magnum ! * Facta est multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, et dicentium (9) : * Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

* Misericordia et veritas obviaverunt sibi : justitia et pax osculatæ sunt (10) ; * veritas de terra orta est : et justitia de cœlo prospexit.

Gaudium magnum ! * Venite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro; venite, transeamus usque Bethlehem, et videamus infantem positum in præsepio; venite exultemus (11), *quia ipse est Dominus Deus noster : * præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei : * quoniam Deus magnus Dominus et rex magnus super omnes Deos; * venite adoremus, et

(1) Luc. 2. — (2) Apoc. 19. — (3) Philip. 2. — (4) Act. 13. — (5) Luc. 2. — (6) 1. Joan. 1. — (7) Luc. 2. — (8) Isai. 25. — (9) Luc. 2. — (10) Ps. 84. — (11) Ps. 94.

procidamus ante Dominum, qui fecit nos, ante Dominum, infantem positum in præsepio, * quia ipse est Dominus Deus noster.

* Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi : conversus est furor tuus, et consolatus es me (1). * Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo : quia fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. * Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris; * et dicetis in die illa : Confitemini Domino, et invocate nomen ejus, notas facite in populis adinventiones ejus : mementote quoniam excelsum est nomen ejus; * cantate Domino quoniam magnifice fecit : annuntiate hoc in universa terra. * Exulta et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israël.

II. PUNCTUM.

Expostulatio adversus mundum, qui Christum cum bonis suis non vult recipere. --- Perversitas mundi injusti et ingrati adversum Dei Filium. --- Qui nobis ex solo amore datus est, --- qui nihil mali fecit, --- imo multa bona attulit. --- Hinc verus Christianus agnoscat corruptionem mundi, ejusque malitiam, --- et contra illam spe in Christum erigat se ad Deum.

* In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit (2); * in propria venit, et sui eum non receperunt.

(1) Isai. 12. — (2) Joan. 1.

* Fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania (1); * astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

* Audite cœli, et auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est (2) :

* Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi (3) : et posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea; * et viderunt, et oderunt me et patrem meum (4). * Oderunt me gratis (5), * dicentes : Nolumus hunc regnare super nos (6), * et verterunt ad me terga, et non facies, cum docerem eos, et erudirem, et nollent audire ut acciperent disciplinam (7).

* Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania (8)?

Quare? * sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret : ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam; * non enim misit Deus filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Et mundus eum non cognovit : convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Quare? * Quid enim mali fecit (9)? * Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare (10).

Quare ? * Pertransiit benefaciendo et sanando

(1) Ps. 2. — (2) Isai. 1. — (3) P. 108. — (4) Joan. 15. — (5) Ps. 34. — (6) Luc. 19. — (7) Jer. 32. — (8) Ps. 2. — (9) Matth. 27. — (10) Luc. 9.

omnes oppressos a diabolo (1). * In hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera diaboli (2), * ut vivamus per eum (3), * ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi (4),* in sanctitate et justitia, coram ipso, omnibus diebus nostris.

* Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (5) : * venerunt autem omnia bona pariter cum illa (6). * In ipso vita erat, et vita erat lux hominum (7), * et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.

Quare ? * O insensati (8) ! * Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem ? erant enim eorum mala opera (9); * Omnis enim qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. * Dilexerunt gloriam hominum magis quam gloriam Dei : * non dilexerunt animas suas (10), *et facti sunt abominabiles sicut ea que dilexerunt(11).

* Ipsi de mundo sunt (12) : * nos ex Deo sumus. * Scimus quoniam ex Deo sumus, et mundus totus in maligno positus est; * et scimus quoniam filius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero filio ejus. Hic est verus Deus, et vita æterna : venerunt autem omnia bona pariter cum illa.

(1) Act. 10. — (2) 1. Joan. 3. — (3) Joan. 4. — (4) Luc. 1. — (5) Joan. 1. — (6) Sap. 7. — (7) Joan. 1. — (8) Gal. 3. — (9) Joan. 3. — (10) Apoc. 12. — (11) Osee. 9. — (12) 1. Joan. 5.

* Propter quod, charissimi, hæc expectantes, satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace (1).

MEDITATIO.

DE OPPOSITIONE JESU CHRISTI ET MUNDI.

(Habetur hic imitatio Meditationis, quam sanctus Ignatius appellat, de duobus vexillis.)

PRIMA PARS.

CHRISTUS AD EVANGELIUM SUUM VOCAT HOMINES.

Admirabiles Christi perfectiones. — Vocat homines ad requiem, per pœnitentiam, — ad beatitudinem, per virtutem, — ad gaudium, per contemptum mundi : — ad hoc autem præstandum certam promittit lucem, — vitam, — et victoriam de mundo ac dæmone. — Cœlum et terra magnificum perhibent ejus doctrinæ testimonium.

* Venit Jesus prædicans Evangelium regni Dei (2), Jesus * admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, princeps pacis (3) : *

(1) II. Pet. 3. — (2) Marc. 1. — (3) Isai. 9.

Filius Dei vivi (1), * candor lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius (2);

Jesus * lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (3), * vere salvator mundi, * speciosus forma præ filiis hominum (4) : * in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (5), * quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter;

Jesus, * qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum (6), * et habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium (7).

* Cœpit Jesus prædicare, et dicere (8) :...

Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum; * venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos; * tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris; * jugum enim meum suave est, et onus meum leve.

* Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum; * beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram; * beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur; * beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur; * beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam con-

(1) Joan. 11. — (2) Sap. 7. — (3) Joan. 1. — (4) Ps. 44. — (5) Col. 2. — (6) Act. 10. — (7) Apoc. 19. — (8) Matth. 4.

sequentur; * beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; * beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur; * beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

* Regnum meum non est de hoc mundo (1). * Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram (2); * væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis; væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis. * Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua (3)? * Mundus gaudebit : vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium (4), * et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

Venite ad me omnes : * ego sum lux mundi : qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. * Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis : * et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.

Venite ad me omnes : * ego sum ostium ovium: * per me si quis introierit, salvabitur. * Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat : ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant. * Ego sum pastor bonus; bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis : * et animam meam pono pro ovibus meis; et * ego vitam æternam do

(1) Joan. 18. — (2) Luc. 6. — (3) Matth. 16. — (4) Joan. 16.

eis : et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.

Venite ad me omnes : * confidite, ego vici mundum. * Princeps hujus mundi jam judicatus est : * videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem (1). * Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit.

* Confiteor tibi Pater, Domine cœli et terræ, quod abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.

* Et factum est, cum consummasset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina ejus (2). Apertum est cœlum (3), * et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, et vox de cœlo facta est : Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi.

* Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus; * omnium oculi erant intendentes in eum, omnes testimonium illi dabant, et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius; * magnificabant Deum, dicentes : quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam : * nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo (4).

(1) Luc. 10. — (2) Matth. 7. — (3) Luc. 3. — (4) Joan. 7.

SECUNDA PARS.

SATANAS INVITAT HOMINES AD MUNDI PARTES AMPLECTENDAS.

Execrabiles satanæ qualitates. — Legem Christi rejicit tanquam difficilem et duram, inutilemque apud Deum. — Sectatoribus suis felicitatem promittit certo adipiscendam — per voluptates, — per divitias, — per gloriam mundanam, — per inimicorum ultionem, — et per virtutum ac vitiorum temperamentum.

* Ostendit mihi Dominus Jesum; et Satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei (1).

Satan, * princeps mundi hujus (2), * et potestas tenebrarum (3) : * rex impudens facie (4), * homicida (5) : * leo rugiens circuit quærens quem devoret (6), habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet (7).

Satan, * tentator (8), * qui seducit universum orbem (9); * ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis (10) : * ipse est rex super universos filios superbiæ (11). * In copia rerum omnium occidet plurimos, et contra Principem Principum consurget, et sine manu conteretur (12).

(1) Zach. 3. — (2) Joan. 14. — (3) Luc. 22. — (4) Dan. 8. — (5) Joan. 8. — (6) I. Pet. 5. — (7) Apoc. 12. — (8) Matth. 4. — (9) Apoc. 12. — (10) II. Cor. 11. — (11) Job. 41. — (12) Dan. 8.

* Aperuit os suum in blasphemias ad Deum (1).

* Durus est hic sermo, et quis potest eum audire (2) ? * Jugum grave super filios Adam (3). * Et quis potest salvus fieri (4) ?

* Adhuc tu permanes in simplicitate tua (5) ? * Quid prodest Deo, si justus fueris ; aut quid ei confers, si immaculata fuerit via tua? * Vanus est qui servit Deo : et quod emolumentum (6), * eo quod universa æque eveniant justo et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas et sacrificia contemnenti ? sicut bonus, sic peccator (7). * Sunt justi, quibus mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum ; et sunt impii, qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant.

* Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent : aut certe ubi est Deus judicii (8)? * Impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis (9).

* Tibi dabo potestatem hanc universam, et gloriam illorum ; * omnia regna orbis terræ (10) * mihi tradita sunt : et cui volo, do illa.

*Quid proderit homini de universo labore suo et afflictione spiritus qua sub sole cruciatus est (11) ? * Cuncti dies ejus doloribus et ærumnis pleni sunt : nec per noctem mente requiescit, et hoc nonne vanitas est ? * Nonne melius est comedere

(1) Apoc. 13. — (2) Joan. 6. — (3) Eccli. 40. — (4) Luc. 18. — (5) Job. 2. — (6) Mal. 3. — (7) Eccle. 9. — (8) Mal. 2. — (9) Job. 21. — (10) Luc. 4. — (11) Eccle. 2.

et bibere et ostendere animæ suæ bona de laboribus suis?

* Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam (1) : * qui sibi nequam est, cui alii bonus erit (2). * Jucunditas cordis hæc est vita hominis : * Vinum et musica lætificant cor ; * amicus et sodalis in tempore convenientes, et super utrosque mulier cum viro.

* Aurum et argentum est constitutio pedum (3): * utilior est sapientia cum divitiis ; * sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia : * corona sapientium, divitiæ eorum (4). * Divitiæ addunt amicos plurimos : a paupere autem et hi, quos habuit, separantur. * Omnes dies pauperis mali, * et pecuniæ obediunt omnia (5).

* Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris (6). * Sit autem fortitudo lex justitiæ ; quod enim infirmum est, inutile invenitur (7). * Manus fortium dominabitur: quæ autem remissa est, tributis serviet (8).

* Odio habebis inimicum tuum (9), * non misereberis ejus : sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges (10).

* Noli esse justus multum (11), * ne impie agas multum. * Lætare in adolescentia tua, et in bono

(1) Ephes. 5. — (2) Eccli. 14. — (3) Eccle. 7. — (4) Prov. 14. — (5) Eccle. 10. — (6) Eccli. 13. — (7) Sap. 2. — (8) Prov. 12. — (9) Matth. 5. — (10) Deut. 19. — (11) Eccle. 7.

sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum.

TERTIA PARS.

UTRIUS SINT SEQUENDÆ PARTES, DELIBERAT HOMO.

Homo electionis necessitatem considerat : — ejusque difficultatem sentit. — Deliciis mundi allicitur, — et ex primo intuitu capitur ; — sed earum brevitatem et tristem exitum agnoscit. — Hinc pervidet mendacium hominum et satanæ in æstimatione mundi ; — adeoque regnum Dei mundo esse præferendum. — Difficultati vero legis Christi opponit. — Necessitatem, salutis, — gratiam Dei, — æternitatem mercedis.

* Optio vobis datur, eligite hodie quod placet : cui servire potissimum debeatis (1).

* Nemo potest duobus dominis servire ; aut enim unum odio habebit, et alterum diliget : aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonæ (2). * Usquequo claudicatis in duas partes ? si Dominus est Deus, sequimini eum ; si autem Baal, sequimini illum (3).

* Ad quem ibimus (4) ? * angustiæ sunt mihi undique (5).

* Dulce lumen, et delectabile est oculis videre

(1) Jos. 24. — (2) Matth. 6. — (3) III. Reg. 18. — (4) Joan. 6. — (5) Dan. 13.

solem (1). * Quæ videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt (2).

* Amicitia hujus mundi inimica est Dei; quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur (3).

* Quid eligam ignoro (4) : * coarctor autem ex duobus.

* Vadam, et affluam deliciis, et fruar bonis (5). * Deprehendi, nihil esse melius quam lætari hominem in opere suo, et hanc esse partem illius.

Quis enim eum adducet, ut post se futura cognoscat ? * Venite ergo, et fruamur bonis quæ sunt, et utamur creatura tanquam in juventute celeriter (6); * vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non prætereat nos flos temporis; * coronemus nos rosis, antequam marcescant; nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra; * nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ; ubique relinquamus signa lætitiæ : quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors.

* Cave tibi, et attende diligenter (7).

* Est via quæ videtur homini justa : novissima autem ejus deducunt ad mortem (8). * Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat. * Hoc scio a principio, ex quo positus est homo super terram (9), quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritæ ad instar puncti. * Si as-

(1) Eccle. 11. — (2) II. Cor. 4. — (3) Jac. 4. — (4) Philip. 1. — (5) Eccle. 2. — (6) Sap. 2. — (7) Eccli. 13. — (8) Prov. 14. — (9) Job. 20.

cenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, * quasi sterquilinium in fine perdetur : et qui eum viderant, dicent : Ubi est ? * Velut somnium avolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna. Hoc scio quod laus impiorum brevis sit.* Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.

* Vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris : ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum (1).

* Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem (2). * Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit : quia non est veritas in eo : cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus (3).

* Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus (4). * Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ (5).

* Nonne anima plus est (6) ?

* Ne dixeris in corde tuo : Quis ascendet in cœlum (7) ? * Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud (8) ; * quis nostrum valet ad cœlum ascendere (9) ? quam angusta porta et arcta via est quæ ducit ad vitam? et pauci sunt

(1) Ps. 61. — (2) Ps. 6. — (3) Joan. 8. — (4) Matth. 6. — (5) 1. Joan. 2. — (6) Matth. 6. — (7) Rom. 10. — (8) Matth. 11. — (9) Deut. 30.

qui inveniunt eam (1); * quis ex nobis poterit (2)? * Desperavi (3). Ne dixeris.

* Salva animam tuam (4): * porro unum est necessarium (5).

* Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum;

* Quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis (6).

QUARTA PARS.

CONCLUSIO HUJUS DELIBERATIONIS.

Christi partibus se totum addicit homo per varios actus, — fidei in Christum magistrum veracem, — admirationis et indignationis super cæcitate hominum quos fascinat mundus, — doloris et confusionis ex sui ipsius fascinatione, — laudis et actionis gratiarum, ob recuperatum sensum, — et firmi propositi Christo adhærendi contra mundum, — qui nulla prorsus ratione ipsi potest comparari.

* Finem loquendi pariter omnes audiamus (7).

* Subditi ergo estote Deo: resistite autem diabolo, et fugiet a vobis (8); appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.

(1) Matth. 7. — (2) Deut. 30. — (3) Jer. 2. — (4) Gen. 19. — (5) Luc. 10. — (6) II. Cor. 4. — (7) Eccle. 12. — (8) Jac. 4.

* Vade Satana (1) : * vicit leo de tribu Juda (2): * et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra (3). Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est Filius Dei, quoniam Christus est veritas.

*Utique, Domine, ego credidi quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti (4). Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. * Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces (5) : apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen (6).

* O insensati! quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est (7)? * Fascinatio nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum (8).

O insensati! * Stultissimus sum virorum (9) : * non didici sapientiam, et non novi scientiam sanctorum. * Deus tu scis insipientiam meam, et delicta mea ad te non sunt abscondita (10).

* In ipso tempore sensus meus reversus est ad me (11). * Nunc igitur ego laudo, et magnifico, et glorifico Regem cœli : quia omnia opera ejus vera, et viæ ejus judicia : * quia cæcus cum essem, modo video (12).

O insensati! * singuli post idola vestra ambu-

(1) Matth. 4. — (2) Apoc. 5. — (3) 1. Joan. 5. — (4) Joan. 11. — (5) Matth. 22. — (6) Ps. 35. — (7) Gal. 3. — (8) Sap. 4. — (9) Prov. 30. — (10) Ps. 68. — (11) Dan. 4. — (12) Joan. 9.

late, et servite eis (1) : * mihi autem adhærere Deo bonum est (2).

* Inveni quem diligit anima mea : tenui eum, nec dimittam (3).

* Sequar te, Domine (4), * tuus sum ego (5) : * Magister, sequar te quocumque ieris (6).

* Vivit Dominus, et vivit Dominus meus Rex : quoniam in quocumque loco fueris Domine, mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus (7).

* Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua (8).

* Appropiáte ad me indocti (9), * videte oculis vestris, quia modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem.

Inveni quem diligit anima mea : tenui eum, nec dimittam.

Nec dimittam, * magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem (10).

Nec dimittam, * majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.

* Mundus totus in maligno positus est (11) : * dicit Jesus : Ego sum via, veritas et vita (12).

* Mundus gaudebit (13) * in maligno (14), * in

(1) Ezech. 20. --- (2) Ps. 72. --- (3) Cant. 3. --- (4) Luc. 9. — (5) Ps. 118. — (6) Matth. 8. — (7) II. Reg. 15. — (8) Ps. 118. — (9) Eccli. 51. --- (10) Hebr. 11. — (11) I. Joan. 5. --- (12) Joan. 14. --- (13) I. Joan. 5. --- (14) Deut. 32.

vanitatibus suis (1), * in sordibus suis (2), * in vanum (3) :

* Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo, * ut videam voluptatem Domini (4).

* Mundus transit (5) : * Jesus Christus heri, et hodie, et ipse in sæcula (6).

(1) Lev. 15. --- (2) Ps. 126. --- (3) Hab. 3. --- (4) Ps. 26. --- (5) 1. Joan. 2. --- (6) Hebr. 13.



MEDITATIO

DE PAUPERTATE JESU CHRISTI ET DE CONTEMPTU DIVITIARUM.

I. PUNCTUM.

Jesus Christus suam doctrinam proponit. — Præparatio animi ad doctrinam Jesu Christi admittendam. — Jesus Christus pauperibus spiritu promittit regnum Dei : — paupertatis vero voluntariæ perfectionem simul et felicitatem declarat, — salutis difficultatem divitibus inculcat : — hæc autem omnia confirmat stupendo exemplo. — Generalis consideratio super hac doctrina Christi.

* Videns Jesus turbas ascendit in montem : et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus (1), * et aperiens os suum docebat eos.

* Numquid non sapientia clamitat, et prudentia dat vocem suam (2)? * in summis excelsisque verticibus supra viam, * dicens :

* O viri, ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum. * Intelligite parvuli astutiam, et insipientes animadvertite. * Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum : et aperientur labia mea, ut recta prædicent. * Veritatem meditabitur gut-

(1) Matth. 5. --- (2) Prov. 8.

tur meum, et labia mea detestabuntur impium. * Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum; * recti sunt intelligentibus, et æqui invenientibus scientiam. * Accipite disciplinam meam, et non pecuniam: doctrinam magis, quam aurum eligite; * melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis, et omne desiderabile ei non potest comparari.

Audite: * Beati pauperes spiritu, quia vestrum est regnum Dei (1); * beati qui nunc esuritis, quia saturabimini.

* Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt, et furantur (2): * thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt neque furantur; * ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.

* Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo: et veni, sequere me. * Amen dico vobis, nemo est, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum Dei (3), * et non recipiat multo plura in hoc tempore, et in sæculo venturo vitam æternam; * qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc cum persecutionibus, et in sæculo futuro vitam æternam (4).

(1) Luc. 6. --- (2) Matth. 6. --- (3) Luc. 18. --- (4) Marc. 10.

* Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram (1); * væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis. * Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum (2); * et iterum dico vobis : Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum. * Quam difficile est, confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire (3)! * apud homines impossibile est, sed non apud Deum; omnia enim possibilia sunt apud Deum.

Audite : Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram; beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.

* Hŏmo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide (4); * et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus ulceribus plenus, * cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat : sed et canes veniebant, et lingebant ulcera ejus.

* Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ : mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. * Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus : * et ipse clamans, dixit : Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.

(1) Luc. 6. -- (2) Matth. 19. -- (3) Marc. 10. -- (4) Luc. 16.

* Et dixit illi Abraham : Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.

* Et in his omnibus, inter nos et vos chaos magnum firmatum est : ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.

* Nunc ergo filii audite me : Beati qui custodiunt vias meas (1) : * audite disciplinam, et estote sapientes, et nolite abjicere eam.

* Numquid consilium Dei audisti (2)? * doctrinam salvatoris (3), * doctrinam sapientiæ (4)? * Acquiesce igitur ei, et habeto pacem, et per hæc habebis fructus optimos (5); * suscipe ex ore illius legem, et pone sermones ejus in corde tuo.

II. PUNCTUM.

Jesus Christus proponit suum exemplum. — Exemplum Christi tantum solatii pauperibus affert, — quantum divitibus mœroris et timoris.

* Fili, accedens ad servitutem Dei (6), * recordare paupertatis meæ (7).

* Regnum meum non est de hoc mundo (8) : * pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea (9). * Vulpes foveas habent, et volucres cœli

(1) Prov. 8. — (2) Job. 15. — (3) Tit. 2. — (4) Eccli. 50. — (5) Job. 22. — (6) Eccli. 2. — (7) Thr. 3. — (8) Joan. 18. — (9) Ps. 87.

nidos : filius autem hominis non habet ubi caput reclinet (1).

* Spiritus Domini super me : propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me (2). * Pauperes evangelizantur : * et beatus est, quicumque non fuerit scandalizatus in me.

* Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ (3). * Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto; * diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem (4).

* Ego sum pauper, et dolens (5) : * videant pauperes, et lætentur :

Lætentur. Ego sum pauper, * abundans paupertate (6) : * mecum sunt divitiæ et gloria, opes superbæ et justitia (7); * melior est enim fructus meus auro, et lapide pretioso.

Ego sum pauper, * ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam.

Ego sum pauper, et dolens. * Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis (8) : * thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus.

Ego sum pauper, et dolens : * epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra : * væ vobis (9).

(1) Matth. 8. — (2) Luc. 4. — (3) Ps. 68. — (4) Ps. 21. — (5) Ps. 68. — (6) Eccli. 11. — (7) Prov. 8. — (8) Jac. 5. — (9) Luc. 6.

III. PUNCTUM.

VARIÆ CONCLUSIONES HUJUS MEDITATIONIS, PRO VARIIS VITÆ STATIBUS.

I. CONCLUSIO.

Pro homine justo et divite. — Deplorat infelicitatem sui status, qui adeo contrarius est vitæ Christi, — et salutis periculum in quo versatur : --- consolatur autem seipsum, ex eo quod oderit statum suum, --- bonis operibus vacet, --- soli Deo adhæreat, — paratusque sit bonorum omnium potius jacturam facere quam animæ.

* Ecce rex tuus veniet tibi, ipse pauper (1) : * Sed dives es (2). * Quæ pars diviti ad pauperem (3) ?

* Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti (4); * nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui. Ipse pauper : sed dives es. Quæ pars diviti ad pauperem? * Quid faciam tibi, o custos hominum? quare posuisti me contrarium tibi (5)?

* Mortuus est dives, et sepultus est in inferno (6); * et dixit illi Abraham : Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua. * Timeo ergo, ne forte et mihi hæc veniant (7). * Multi dati sunt in auri casus, et facta est in specie ipsius perditio

(1) Zach. 9. — (2) Apoc. 2. — (3) Eccli. 13. — (4) Rom. 8. --- (5) Job. 7. — (6) Luc. 16. — (7) Tob. 6.

illorum (1). * Beatus dives, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. ' Quis est hic ?

' Domine Rex Deorum et universæ potestatis (2), • adjuva me nullum aliud auxilium habentem nisi te, Domine, qui habes omnium scientiam, * et nosti quia oderim gloriam iniquorum. ' Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ et gloriæ meæ.

' Si negavi, quod volebant, pauperibus, et oculos viduæ expectare feci (3); ' si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea; * (Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio : et de utero matris meæ egressa est mecum;) * si putavi aurum robur meum, et obrizo dixi : Fiducia mea; ' si lætatus sum super multis divitiis meis : ' decidam merito ab inimicis meis inanis (4).

• Et nunc quæ est expectatio mea ? nonne Dominus ? et substantia mea apud te est (5).

' Et nunc, Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum (6) : ' tuæ divitiæ, et tua est gloria (7). * Tuus sum ego, salvum me fac (8) : * cætera tolle (9); ' paratum cor meum (10); ' nihil vereor, dummodo consummem cursum meum (11). * Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam (12);

(1) Eccle. 31. — (2) Esth. 14. — (3) Job. 31. — (4) Ps. 7. — (5) Ps. 38. — (6) Tob. 3. — (7) 1. Par. 29. — (8) Ps. 118. — (9) Gen. 14. — (10) Ps. 107. — (11) Act. 20. — (12) Ps. 118.

* universa quæ habet, in manu tua sunt (1) : verumtamen animam illius serva.

II. CONCLUSIO.

Pro homine justo in statu tenuis fortunæ. — Cum persuasum illi sit sufficere homini ea quæ sunt pure necessaria ad victum, — et hac ratione vitari omne malum, cujus radix est cupiditas, — iis manet ultro contentus, — eademque a Deo postulat ad arcenda pericula, seu divitiarum seu paupertatis extremæ.

* Initium necessariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis, et ferrum, sal, lac, et panis similagineus, et mel, et botrus uvæ, et oleum, et vestimentum (2), * et domus protegens turpitudinem. * Est autem quæstus, magnus pietas cum sufficientia (3). * Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid possumus.

* Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus; * nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. * Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis.

* Tu autem, o homo Dei, hæc fuge : sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. * Noli laborare ut di-

(1) Job. 1. — (2) Eccli. 39. — (3) 1. Tim. 6.

teris : sed prudentiæ tuæ pone modum (1). * Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere : quia facient sibi pennas quasi aquilæ, et volabunt in cœlum. * Melius est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate ; * melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles ; * melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas (2).

* Deus patrum nostrorum, et Domine misericordiæ (3), * mendicitatem, et divitias ne dederis mihi : tribue tantum victui meo necessaria (4) ; ne forte satiatus illiciar ad negandum, et dicam : Quis est Dominus ? aut egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei.

* Bonum mihi lex oris tui, super millia auri, et argenti (5).

III. CONCLUSIO.

Pro homine justo et paupere. — Quærit suam consolationem et fortitudinem in societate unitatis cum Christo paupere : — adeoque reputans contra existimationem mundi, — in ea sitam esse felicitatem hominis, — ex eadem sibi magna pollicetur bona.

* Ecce rex tuus veniet tibi, ipse pauper (6) : * ego autem mendicus sum et pauper (7).

* Quid facies (8) ? * Audi consilium (9) : * Fidem posside cum amico in paupertate illius, ut

(1) Prov. 23. — (2) Ps. 36. — (3) Sap. 9. — (4) Prov. 30. — (5) Ps. 118. — (6) Zach. 9. — (7) Ps. 39. — (8) Gen. 18. — (9) Prov. 19.

et in bonis illius lætéris (1); * in tempore tribulationis illius permane illi fidelis, ut et in hæreditate illius cohæres sis; * sustine sustentationes Dei : conjungere Deo, et sustine, ut crescat in novissimo vita tua.

* Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus (2) : * in via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis (3). Erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis (4) ; * quorum filii, sicut novellæ plantationes in juventute sua; filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi ; * promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud ; oves eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis ; * boves eorum crassæ : non est ruina maceriæ, neque transitus, néque clamor in plateis eorum.

* Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.

* Non in solo pane vivit homo (5) : * Justus autem ex fide vivit (6).

* Pauperem quidem vitam gerimus : sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene (7).

* Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo divites in fide, et heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se (8) ?

(1) Eccli. 22. — (2) Ps. 67. — (3) Ps. 118. — (4) Ps. 143. — (5) Matth. 4. — (6) Rom. 1. — (7) Tob. 4. — (8) Jac. 2.

* Spera in Domino, et fac bonitatem; et inhabita terram, et pasceris in divitiis ejus (1); * delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. * Tunc videbis, et affluës, et mirabitur et dilatabitur cor tuum (2); * tunc super omnipotentem deliciis affluës, * ridebis (3); * ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo.

IV. CONCLUSIO.

Pro homine justo qui ex divite factus est pauper. — Excitat seipsum ad tolerantiam, — convenientia sui status cum Christo Jesu, — æstimatione patientiæ sanctorum, et necessitate sese subjiciendi voluntati Dei. — Huic conclusioni potest addi tertia.

* Pauperes facti sumus nimis (4). * Ecce salvator tuus venit (5) : * egenus factus est, cum esset dives (6).

* Sit nomen Domini benedictum (7) : * similis ero Altissimo (8), * similis filio Dei (9); * gloria magna est sequi Dominum (10).

* Ecce, beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis (11); * scidit vestimenta sua, et tonso capite, corruens in terram adoravit (12), et dixit : Nudus egressus sum de utero

(1) Ps. 36. — (2) Isai. 60. — (3) Job. 22. — (4) Ps. 78. — (5) Isai. 62. — (6) II. Cor. 8. — (7) Ps. 112. — (8) Isai. 14. — (9) Dan. 3. — (10) Eccli. 23. — (11) Jac. 5. — (12) Job. 1.

matris meæ, et nudus revertar illuc: Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum. * In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est. * Similiter facias (1).

Ecce, beatificamus eos qui sustinuerunt, * quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum fuit, et altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum (2).

* Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei (3); * nam et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam. Beati (4).

* Vade, et tu fac similiter (5), * et beatus eris.

* Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt (6). * Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus (7)? * Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus in ore meo : * in Domino laudabitur anima mea (8).

(1) Eccli. 2. — (2) II. Cor. 8. — (3) Luc. 6. — (4) Heb. 10. — (5) Luc. 10. — (6) Eccli. 11. — (7) Job. 2. — (8) Ps. 33.

V. CONCLUSIO.

Pro religioso qui profitetur paupertatem evangelicam. — Benedicit Deo, quod sibi aperuerit mysterium voluntariæ paupertatis, — quæ relinquit omnia propter illum, illius solum eget, et omnia recuperat in illo.

* Ecce, rex tuus venit tibi (1), * et ipse pauper (2).

* Beatus qui intelligit super egenum et pauperem (3); * scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis (4).

Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, * in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (5).

* Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum (6). * Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges : * et nullius egeo (7).

* Reliquimus omnia, et secuti sumus te (8), * ut divitias computaremus hoc (9).

* Ego sum pauper, et nullius egeo (10); * quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram (11)?

* Quæ fuerunt mihi lucra, hæc arbitratus sum

(1) Matth. 21. --- (2) Zach. 9. --- (3) Ps. 40. — (4) II. Cor. 8. --- (5) Col. 2. --- (6) Ps. 15. --- (7) Apoc. 3. — (8) Matth. 19. — (9) Tob. 5. — (10) Ps. 68. --- (11) Ps. 72.

propter Christum detrimenta (1), * propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam : * et divitias nihil esse duxi in comparatione illius (2).

Ego sum pauper, et nullius egeo; * mihi enim vivere Christus, et mori lucrum (3). * Dominus pars hereditatis meæ : tu es qui restitues hereditatem meam mihi (4).

* Quanta fecit animæ meæ (5)!

* Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus (6).

* Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, et domus patris mei (7) : * crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. * Anima mea exultabit in Domino, et delectabitur super salutari suo (8) : * quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio ejus (9). * Repletus sum consolatione, superabundo gaudio (10) : *habeo omnia, et abundo : repletus sum (11); *Dominus enim ipse est hereditas (12).

(1) Philip. 3. — (2) Sap. 7. — (3) Philip. 1. — (4) Ps. 15. — (5) Ps. 65. — (6) Isai. 63. — (7) Gen. 41. — (8) Ps. 34. — (9) Josue. 13. — (10) II. Cor. 7. — (11) Phil. 4. — (12) Deut. 18.

VI. CONCLUSIO.

Pro homine divite et avaro. — Agnoscit inutilitatem omnium laborum avaritiæ, --- justum timorem judicii sumendi Jesu paupere, --- futurum tunc dolorem ex defectu honorem operum, --- et impotentiam ad ea supplenda; --- unde concludit, uti se debere suis bonis juxta leges justitiæ et charitatis. --- Hanc a Deo gratiam efflagitat, — sine qua se minime divitem esse sibi persuadet.

Væ vobis, divitibus, quia habetis consolationem vestram : * hæc dicit Dominus ad me (1).

* Dives effectus sum, inveni idolum mihi (2).

* Quid proderit homini de universo labore suo, et afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est (3)? * sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertetur, et nihil auferet secum de labore suo. * Quid proderit homini, si lucretur mundum totum, et detrimentum animæ suæ faciat (4)? * aut quid dabit homo commutationis pro anima sua?

* Cui laboro, et fraudo animam meam bonis (5)? * Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te, quæ autem parasti, cujus erunt (6)?

* Quid faciam cum surrexerit ad judicandum Deus? et cum quæsierit, quid respondebo illi (7)?

* Egenus factus est, cum esset dives : Quid respondebo illi (8)?

(1) Isai. 18. — (2) Osee. 12. — (3) Eccle. 2. — (4) Marc. 8. — (5) Eccle. 4. — (6) Luc. 12. — (7) Job. 31. — (8) II. Cor. 7.

* Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri (1), * neque molles, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Quid faciam cum surrexerit ad judicandum Deus?

* Tunc dicet his, qui a sinistris erunt : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus (2); * esurivi enim, et non dedistis mihi manducare : sitivi, et non dedistis mihi potum : * hospes eram, et non collegistis me : nudus, et non cooperuistis me : infirmus, et in carcere, et non visitastis me. Quid respondebo illi? quid... * Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, et non ministravimus tibi? * Tunc respondebit illis, dicens : Amen dico vobis : quandiu non fecistis uni de minoribus, nec mihi fecistis.

Quid faciam? * Quis me liberabit (3)? * Quid dabit homo commutationis pro anima sua (4)?

* Frater non redimit; redimet homo? Non dabit Deo placationem suam (5), * et pretium redemptionis animæ suæ. * Non proderunt divitiæ in die ultionis : justitia autem liberabit a morte (6), misericordia liberabit (7).

* Redemptio animæ viri, divitiæ suæ (8) : * cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua (9).

(1) 1. Cor. 6. — (2) Matth. 25. — (3) Rom. 7. — (4) Marc. 8. — (5) Ps. 48. — (6) Prov. 11. — (7) Eccli. 40. — (8) Prov. 13. — (9) Job. 2.

* Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum (1).

* Vere ego peccavi Domino Deo Israël (2) : * ecce, dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus : et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum (3).

* Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum (4) : * inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam : * gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis injustitia; * bonum mihi lex oris tui, super millia auri et argenti.

* Benedictio Domini divites facit (5). * Est quasi dives, cum nihil habeat, et est quasi pauper, cum in multis divitiis sit : * sic est qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives (6).

* Ubi non est scientia animæ, non est bonum (7).

(1) Dan. 4. — (2) Jos. 7. — (3) Luc. 19. — (4) Ps. 118. — (5) Prov. 10. — (6) Luc. 12. — (7) Prov. 19.

VII. CONCLUSIO.

Pro peccatore qui ex divite factus est pauper. --- Habet pro pœna a Deo sibi inflicta paupertatem suam : --- cujus miserias persentit : — simul et pro ratione, bene sperandi de Deo qui noluit eum funditus perdere, — revertendi ad eum per pœnitentiam, --- et feliciter vivendi in ejus possessione.

℣ Manus Domini tetigit me (1). ℣ Egestas a Domino in domo impii (2); ℣ ego ille quondam opulentus, repente contritus sum (3). ℣ Ecce manus Domini super te (4), ℣ eo quod non servieris Domino Deo tuo in gaudio, cordisque lætitia, propter rerum omnium abundantiam (5).

℣ Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus (6) : ℣ me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem; ℣ circumdedit me felle et labore; ℣ in tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos; ℣ factus sum in derisum omni populo, canticum eorum tota die; ℣ replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio.

℣ Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo. ℣ Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus. ℣ Pars mea, Dominus, dixit anima mea : propterea expectabo eum. ℣ Bonus est Dominus sperantibus in

(1) Job. 19. — (2) Prov. 3. — (3) Job. 16. — (4) Act. 13. — (5) Deut. 28. — (6) Thr. 3.

eum, animæ quærenti illum. * Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei : * quia non repellet in sempiternum Dominus ; * quia si abjecit, et miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum. * Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum ; * levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos : * nos inique egimus, et ad iracundiam provocavimus. Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo : verumtamen vias meas in conspectu ejus arguam (1) : * et ipse erit Salvator meus.

Pars mea Dominus. * Dives sum (2), * Dives et felix (3) * Magis, quam principio.

VIII. CONCLUSIO.

Pro homine peccatore et paupere. — Exprobrat ipse sibi vitæ suæ depravationem, — ejusdem miseriam animo repræsentat, — et ad illam quærit remedium in pœnitentia et patientia.

* Pauperes sunt et stulti, ignorantes viam Domini, judicium Dei sui.

* Vere et tu ex illis es (4) ; es miser, et miserabilis, et pauper (5) : * tui vero oculi et cor ad avaritiam, et ad sanguinem innocentem fundendum, et ad calumniam, et ad cursum mali operis (6). * Si videbas furem, currebas cum eo : et cum adulteris portionem tuam ponebas (7).

(1) Job. 13. — (2) Apoc. 3. — (3) Job. 21. — (4) Matth. 26. — (5) Apoc. 3. — (6) Jer. 22. — (7) Ps. 49.

* Væ misero mihi (1)! * in domo mea non est panis (2) : * non est Deus mecum (3). * Repleta est malis anima mea : et vita mea inferno appropinquavit (4).

* Quid habet pauper, nisi ut pergat illuc ubi est vita, et vita mea inferno appropinquavit (5).

* Pauper gloriatur per disciplinam et timorem suum (6) : * et Deum non timeo, neque hominem revereor (7).

* Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum : et vita mea inferno appropinquavit (8).

* Bona est substantia cui non est peccatum in conscientia : et nequissima paupertas in ore impii (9) : * propter cordis inopiam perdet animam suam (10).

Vita mea inferno appropinquavit. * Pœnitentiam age (11).

* Crede Deo, et recuperabit te (12). * Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se (13)? * Hæc dicit Dominus redemptor tuus (15) : * Elegi te in camino paupertatis, * in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe (15); * dirige viam tuam, et spera in

(1) Jer. 45. — (2) Isai. 3. — (3) Deut. 31. — (4) Ps. 87. — (5) Eccle. 6. — (6) Eccli. 10. — (7) Luc. 18. — (8) Matth. 5. — (9) Eccli. 13. — (10) Prov. 6. — (11) Act. 8. — (12) Eccli. 2. — (13) Jac. 2. — (14) Isai. 48. — (15) Eccli. 2.

illum ; serva timorem illius, et in illo veterasce. * Parcet pauperi et inopi, et animas pauperum salvas faciet (1).

* Portior mea, Domine, dixi, custodire legem tuam (2). * Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et justificationes tuas doce me : * lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.

(1) Ps. 71. — (2) Ps. 118.

TRES

MEDITATIONES

DE HUMILITATE.

PRIMA MEDITATIO.

DE NECESSITATE HUMILITATIS.

I. PUNCTUM.

PRIMA RATIO HUJUS NECESSITATIS. — Doctrina Christi.

Jesus declarat humilitatis necessitatem ad salutem. — Sentit homo ejus difficultatem simul et desiderium.

* Homines elati, superbi (1), * sine pace, immites, sine benignitate, * tumidi, * inclinate aurem vestram, et venite ad me : audite, et vivet anima vestra (2).

* Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum (3).

* Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos ; talium est enim regnum cœlorum (4).

(1) II. Tim. 3. — (2) Isai. 55. — (3) Matth. 18. — (4) Marc. 10.

* Amen dico vobis : Quisquis non receperit regnum Dei sicut parvulus, non intrabit in illud.

* Arrogantiam et superbiam detestor (1). * Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo (2) : * quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus. * Propter quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (3) : * omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur (4).

* Hæc est via, ambulate in ea (5).

* Magister bone (6), * quidnam est hoc? quænam doctrina hæc nova (7)? * quoniam omne quod est in mundo, est superbia vitæ (8) : * cuncta subjacent vanitati (9). * Dilexerunt gloriam hominum magis quam gloriam Dei (10) : * et abominatio est superbo humilitas (11).

* Domine, doce me justificationes tuas (12) : * concupivit anima mea desiderare justificationes tuas. * Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo, * amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum.

(1) Prov. 8. — (2) Eccle. 10. — (3) Jac. 4. — (4) Luc. 14. — (5) Isai. 30. — (6) Matth. 19. — (7) Marc. 1. — (8) 1. Joan. 2. — (9) Eccle. 3. — (10) Joan. 12. — (11) Eccle. 13. — (12) Ps. 118.

II. PUNCTUM.

Secunda ratio. — Exemplum Christi.

Jesus excitat homines exemplo suo ad humilitatis amorem et praxim : — eisdemque sui exempli vim evidenti ratione inculcat. — Homo vividam humilitatis Christi imaginem exprimit ex omni ejus vita : — hoc vero humilitatis exemplar intuens suam omnem superbiam recognoscit : — damnat in seipso, — in bonis vitæ, — in peccatis suis, — in dotibus quibuslibet, — detestaturque ex animo humili et contrito.

* Discite a me, quia mitis sum et humilis corde (1). * Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. * Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me (2); * ego non quæro gloriam meam : est qui quærat et judicet; * pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea (3); * ego sum vermis, et non homo : opprobrium hominum, et abjectio plebis (4). * Omnes videntes me, deriserunt me : * posuerunt me abominationem sibi (5). * Operuit confusio faciem meam (6); * cum his qui oderunt pacem, eram pacificus : cum loquebar illis, impugnabant me gratis (7). * Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones (8) : * humiliatus sum usquequaque (9).

(1) Matth. 11. — (2) Joan. 5. — (3) Ps. 87. — (4) Ps. 21. — (5) Ps. 87. — (6) Ps. 68. — (7) Ps. 119. — (8) Ps. 37. — (9) Ps. 118.

Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde. * Vos vocatis me, Magister, et Domine : et bene dicitis ; sum etenim (1). * Non est discipulus super magistrum : perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus (2). * Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis (3). * Amen, amen dico vobis : Non est servus major Domino suo : neque Apostolus, major est eo qui misit illum. * Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. * Reges Gentium dominantur eorum : et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur (4), * vos autem non sic : sed qui major est in vobis, fiat sicut minor : et qui præcessor est, sicut ministrator. * Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. * Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis : Non est servus major Domino suo (5) : * ego autem humiliatus sum nimis (6), * Dominus et Magister (7); * humiliamini igitur (8).

*Homines superbi (9), * ecce Deus vester (10), * ecce Dominus Deus (11) : * recogitate eum (12).

* Recogitabo. * Ecce Deus noster (13) : * quam angeli minoratus est (14) : * Verbum caro factum est (15), * est Filius Mariæ (16). * Cum natus esset,

(1) Joan. 13. — (2) Luc. 6. — (3) Joan. 13. — (4) Luc. 22. — (5) Joan. 15. — (6) Ps. 115. — (7) Joan. 13. — (8) 1. Pet. 5. — (9) II. Tim. 3. — (10) Isai. 40. — (11) Heb. 12. — (12) Isai. 38. — (13) Heb. 2. — (14) Joan. 1. — (15) Marc. 6. — (16) Matth. 2.

* pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio (1); * et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus, Jesus. * Tulerunt eum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino : * et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam Nazareth. * Puer autem crescebat, et confortabatur, plenus sapientia, * et erat subditus illis : * qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo (2) : * sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.

* Baptizatus est a Joanne in Jordane (3), * in similitudinem carnis peccati (4) * putabatur filius Joseph (5), * homo vorax, et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus (6).

* Cum sceleratis reputatus est (7), * qui pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo (8), * qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (9); * qui non noverat peccatum (10); * qui cum malediceretur, non maledicebat : cum pateretur, non comminabatur : tradebat autem judicanti se injuste (11).

* Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (12); * proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta (13).

(1) Luc. 2. — (2) Philip. 2. — (3) Marc. 1. — (4) Rom. 8. — (5) Luc. 3. — (6) Matth. 11. — (7) Isai. 53. — (8) Act. 10. — (9) 1. Pet. 2. — (10) II. Cor. 5. — (11) 1. Pet. 2. — (12) Philip. 2. — (13) Heb. 12.

* Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est (1); * si ignoras te, inspice exemplar (2).

* Tu quis es (3)? * Vir vanus (4), * Universa vanitas (5), * Homo vanitati similis : * Qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, et montium altitudines in statera appendere (6).

Tu quis es? Inspice : * Quid superbit terra et cinis (7)? * humiliatio tua in medio tui (8) : * non est creata hominibus superbia (9).

Inspice : * Quid te elevat cor tuum (10)? * omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri (11). * Quid profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit (12) * omnia illa tanquam umbra.

Inspice : * Quid gloriaris in malitia (13)? * infixus in limo profundi (14), *comparatus jumentis insipientibus, et similis factus illis (15)?

Inspice : * Quid tumet contra Deum spiritus tuus (16)? * Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis (17)?

* Et ideo humiliemus illi animas nostras, et in spiritu constituti humiliato, servientes illi (18),

(1) Exod. 25. — (2) Cant. 1. — (3) Joan. 1. — (4) Job. 11. — (5) Ps. 38. — (6) II. Mac. 9. — (7) Eccle. 10. — (8) Mich. 6. — (9) Eccle. 10. — (10) Job. 15. — (11) Isai. 40. — (12) Sap. 5. — (13) Ps. 51. — (14) Ps. 68. — (15) Ps. 48. — (16) Job. 15. — (17) I. Cor 4. — (18) Judith. 8.

* dicamus, flentes Domino, ut secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum misericordiam suam : ut sicut conturbatum est cor nostrum in superbia, ita etiam de nostra humilitate gloriemur.

Dicamus Domino : * Peccavimus (1), * vanitate seducti sumus : * cor contritum et humiliatum Deus, non despicies (2). * Confundantur superbi (3) : * sed in animo contrito et spiritu humilitatis suscipiamur (4).

II. MEDITATIO.

DE PRAXI HUMILITATIS.

I. PUNCTUM.

Regulæ humilitatis. — Homo persuasus exemplo et doctrina Christi, — solidam sibi proponit humilitatis praxim — erga Deum, — erga proximum, — in fide, — in scientia, — in bonis operibus, — in iis quæ spectant ad divitias et honores, — in afflictionibus, — erga inimicos, — in cogitationibus, verbis, et actionibus, — et in officiis humanæ societatis.

* Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi monstratum est (5).

* Magister est (6) : — * Tu discipulus (7).

(1) II. Esd. 1. — (2) Ps. 50. — (3) Ps. 118. — (4) Dan. 3. — (5) Exod. 25. — (6) Matth. 23. — (7) Joan. 9.

* Dominus est (1) : — * Ego sum servus (2).

* Noster autem Dominus, Deus est (3) : — * Nihil sum (4).

* Non est sanctus, ut est Dominus (5) : — * Homo peccator sum (6).

* Non est discipulus super magistrum.

* Non est servus major Domino suo (7). * Major Deus homine (8).

* Humiliavit semetipsum (9) : * humilia te (10).

*Justum est et æquum (11) : * ero humilis (12), * sequar paulatim vestigia ejus (13), *nec contradicam sermonibus sancti (14).

Inspice et fac. * Humilia te in omnibus (15);

* Subditus esto Domino (16). * Hæc dicit Dominus : Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis (17) : * sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me : quia ego sum Dominus qui facio misericordiam, et judicium, et justitiam in terra; hæc enim placent mihi.

Subditus esto Domino, * omni humanæ creaturæ propter Deum (18) : * congregationi pauperum affabilem te facito; presbytero humilia animam tuam, et magnato humilia caput tuum (19): * quia sic est voluntas Dei (20).

(1) Matth. 12. — (2) II. Reg. 9. — (3) II. Par. 13. — (4) II. Cor. 12. — (5) I. Reg. 2. — (6) Luc. 5. — (7) Joan. 15. — (8) Job. 33. — (9) Philip. 2. — (10) Eccle. 3. — (11) Col. 4. — (12) II. Reg. 6. — (13) Gen. 33. — (14) Job. 6. — (15) Eccle. 3. — (16) Ps. 36. — (17) Jer. 9. — (18) I. Pet. 2. — (19) Eccle. 4. — (20) I. Pet. 2.

Tu fide stas : noli altum sapere, sed time (1).

* De ligno scientiæ boni et mali ne comedas (2) : * scientia inflat (3). * Si quis se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire. * Humilia valde spiritum tuum (4) : * altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris : sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus; * non est enim tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis. * In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter, et in pluribus operibus ejus non eris curiosus; * plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi. * Multos quoque supplantavit suspicio illorum, et in vanitate detinuit sensus illorum. * Stultas et sine disciplina quæstiones de vita : sciens quia generant lites (5). Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, * cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati. Humilia valde spiritum tuum.

* Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, et in vicis, ut honorificentur ab hominibus (6) : * te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua : * ut sit eleemosyna tua in abscondito : et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. * Cum oraveris, intra in

(1) Rom. 11. — (2) Gen. 2. — (3) 1. Cor. 8. — (4) Eccli. 7. — (5) II. Tim. 2. — (6) Matth. 6.

cubiculum tuum, et clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito : et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. * Cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, * ne videaris ab hominibus jejunans, sed patri tuo, qui est in abscondito : et pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.

* Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua (1); * noli laborare ut diteris : sed prudentiæ tuæ pone modum (2); * noli frustra extolli vanis spebus (3); * noli quærere a Domino ducatum, neque a rege cathedram honoris (4). * Rectorem te posuerunt? noli extolli : esto in illis quasi unus ex ipsis, * sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare (5). * Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam (6) : * quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur.

* Quem diligit Dominus, corripit (7); præpara animam tuam ad tentationem (8) : deprime cor tuum : * omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe; * quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis. * Humiliare Deo, et expecta manus ejus.

* Ne dicas : Reddam malum (9) : * sed vince in

(1) Ps. 36. — (2) Prov. 23. — (3) II. Mac. 7. — (4) Eccli. 7. — (5) Matth. 20. — (6) Eccle. 3. — (7) Prov. 3. — (8) Eccle. 2. — (9) Prov. 20.

bono malum (1), * cum omni humilitate et mansuetudine (2). * Jesus dicebat : Pater dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt (3) : * pro transgressoribus rogavit (4); * memento omnis mansuetudinis ejus (5).

* Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio (6). * Laudet te alienus, et non os tuum : extraneus, et non labia tua (7); * non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat (8). * Ne sis sapiens apud temetipsum (9); * nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihi sit, ipse se seducit (10). * Non te extollas in cogitatione animæ tuæ (11); * noli extollere te in faciendo opere tuo: * in mansuetudine serva animam tuam : * in mansuetudine opera tua perfice.

* Quam bonum, et quam jucundum, habitare fratres in unum (12). * Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes (13) : * sed per charitatem spiritus servite invicem, * honore invicem prævenientes (14), * idipsum invicem sentientes : non alta sapientes : sed humilibus consentientes, * si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes; * nihil per contentionem, neque

(1) Rom. 12. — (2) Ephes. 4. — (3) Luc. 23. — (4) Isai. 53. — (5) Ps. 131. — (6) Tob. 4. — (7) Prov. 27. — (8) II. Cor. 10. — (9) Prov. 3. — (10) Gal. 6. — (11) Eccle. 6. — (12) Ps. 132. — (13) Gal. 5. — (14) Rom. 12.

per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes (1); * non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum; * hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, * qui humiliavit semetipsum, * vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus (2).

* Qui facit hæc, non movebitur in æternum (3). * Omnia facito secundum exemplar quod tibi ostensum est. Humilia te in omnibus (4).

II. PUNCTUM.

Oratio ad Jesum humilem, qui sese homo imitatorem offert. — Gratiarum actio pro accepto spiritu humilitatis : — ejusdem conservandi desiderium, — et illum redigendi ad praxim propositum firmum usque ad contemnendum contemptum mundi.

* Jesu præceptor (5), * mitis et humilis corde (6), * obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (7), * rex meus (8), exemplum meum (9), quam dulcia faucibus meis eloquia tua (10) ! * posui in corde meo, et exemplo didici disciplinam (11); * arrogantiam et superbiam detestor : * scio et humiliari (12). * Bonum mihi quia humiliasti me (13) !

* Confirma hoc, Deus, quod operatus es (14) :

(1) Philip. 2. — (2) 1. Pet. 2. — (3) Ps. 14. — (4) Hebr. 8. — (5) Luc. 17. — (6) Matth. 11. — (7) Philip. 2. — (8) Ps. 5. — (9) Zach. 13. — (10) Ps. 118. — (11) Prov. 24. — (12) Philip. 4. — (13) Ps. 118. — (14) Ps. 67.

℣. Averte oculos meos, ne videant vanitatem : in via tua vivifica me (1); ℟. gressus meos dirige secundum eloquium tuum : ℟. non veniat mihi pes superbiæ : et manus peccatoris non moveat me(2); ℟. memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti (3). ℣. Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos (4); ℟. tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris; ℟. jugum enim meum suave est, et onus meum leve. ℣. Hæc me consolata est in humilitate mea (5).

℟. Adolescentulus sum ego, et contemptus : ℟. bonum mihi. ℟. Vilior fiam, plusquam factus sum : et ero humilis in oculis meis (6) : ℣. et respondebo exprobrantibus mihi (7).

Et respondebo : ℟. Priusquam humiliarer, ego deliqui;

Et respondebo : ℣. Melius est humiliari cum mitibus, quam dividere spolia cum superbis (8);

Et respondebo : ℣. Volui (9) : ℣. elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum (10).

Ero humilis in oculis meis, et respondebo exprobrantibus mihi : ℟. Humiliavit semetipsum (11) : ℟. non est servus major Domino suo (12); ℣. gloria

(1) Ps. 118. — (2) Ps. 35. — (3) Ps. 118. — (4) Matth. 11. — (5) Ps. 118. — (6) II. Reg. 6. — (7) Ps. 118. — (8) Prov. 16. — (9) Ps. 39. — (10) Ps. 83. — (11) Philip. 2. — (12) Joan. 15.

magna est sequi Dominum (1). * Proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet (2).

Vilior fiam plusquam factus sum, * et non confundar (3); * et in hoc gaudeo, sed et gaudebo; et respondebo exprobrantibus mihi (4) : * Scio quia hoc mihi proveniet ad salutem, * gloriosior apparebo (5);

Et respondebo : * quia speravi in sermonibus tuis (6) : * quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur (7).

(1) Eccle. 23. --- (2) Hebr. 12. --- (3) Eccle. 51. --- (4) Philip. 1. --- (5) II. Reg. 6. --- (6) Ps. 118. --- (7) Luc. 18.

TERTIA MEDITATIO.

HUMILIS ANIMÆ CANTICUM.

I. PUNCTUM.

Superbiæ humiliatio. --- Profligata superbia, --- in Lucifero, --- in Adamo, --- in gigantibus tempore diluvii, --- in ædificatoribus turris Babel, --- in Pharaone, --- in Nabuchodonosore, -- in Baltassare, --- in Amano, --- in Antiocho, --- in Herode. --- Hinc arguitur justa causa, quam superbi omnes habent timendi similis exitus : --- cum et ipsi testes sint talium pœnarum multis aliis a Deo sæpe inflictarum, --- donec tota superbia pereat æternum in die magna Domini; --- ut autem destruatur ante hanc diem desiderat anima humilis ad gloriam Dei et salutem horum peccatorum.

* Væ coronæ superbiæ (1) : * pedibus conculcabitur corona superbiæ.

* Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem (2) : * ipse est rex super universos filios superbiæ (3). * Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer (4), * qui dicebas in corde tuo : In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo : * detracta est ad inferos superbia tua.

* Adam, ubi es (5)? * Dixit serpens ad mulie-

(1) Isai. 28. — (2) Luc. 10. --- (3) Job. 41. — (4) Isai. 14. — (5) Gen. 3.

rem : * Eritis sicut Dii. * Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile; et tulit de fructu illius, et comedit : deditque viro suo, qui comedit. * Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est.

* Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt confidentes suæ virtuti (1). * Cum perirent superbi gigantes, spes orbis terrarum ad ratem confugiens, remisit sæculo semen nativitatis, quæ nutu tuo erat gubernata (2) : * ab his divisæ sunt gentes in terra post diluvium (3).

* Erat autem terra labii unius. * Dixitque alter ad proximum suum : * Venite, faciamus nobis civitatem et turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum : et celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras. * Descendit autem Dominus ut videret civitatem et turrim, quam ædificabant filii Adam, * et dixit : * Confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. * Et cessaverunt ædificare civitatem; * et idcirco vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ.

Væ coronæ superbiæ. * Deus superbis resistit (4), * nec superbi ab initio placuerunt (5), *

(1) Eccle. 16. — (2) Sap. 14. — (3) Gen. 10. — (4) 1. Petr. 5. — (5) Judith. 9.

et non placebunt ei. Pedibus conculcabitur corona superbiæ (1).

* Cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est (2). * Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine, * et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios tuos.

* Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, et dimittam Israël? Nescio Dominum, * ait rex Ægypti. * Ingressus est eques Pharao cum curribus et equitibus ejus in mare: et reduxit super eos Dominus aquas maris; * submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus; * equum et ascensorem dejecit in mare.

* Deus altissimus regnum et magnificentiam, gloriam et honorem dedit Nabuchodonosor (3); * elevatum est cor ejus, et spiritus illius obfirmatus est ad superbiam: depositus est de solio regni sui, et gloria ejus ablata est; * et a filiis hominum ejectus est, sed et cor ejus cum bestiis positum est, et cum onagris erat habitatio ejus: fœnum quoque ut bos comedebat.

* Tu quoque filius ejus Baltassar, non humiliasti cor tuum, cum scires hæc omnia: * sed adversum dominatorem cœli elevatus es; * idcirco * numeravit Deus regnum tuum, et complevit illud: * appensus es in statera, et inventus es minus habens; * divisum est regnum tuum, et datum est Mediis et Persis.

* Abominatio Domini est omnis arrogans:

(1) Osee. 9. — (2) Exod. 15. — (3) Dan. 5.

etiamsi manus ad manum fuerit, non est innocens (1). * Quis restitit ei, et pacem habuit (2)?

* Suspensus est Aman in patibulo, quod paraverat Mardochæo (3).

* Antiochus (4) * cœpit ex gravi superbia deductus, ad agnitionem sui venire, divina admonitus plaga, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus. * Cum nec ipse jam fœtorem suum ferre posset, ita ait : Justum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire; * orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.

* Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, et concionabatur (5); * populus autem acclamabat : Dei voces, et non hominis. * Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo : et consumptus a vermibus, expiravit.

Væ coronæ superbiæ. Pedibus conculcabitur corona superbiæ.

* Et quid adhuc dicam (6)? * Quis non timebit (7)?

* Dominus exercituum cogitavit hoc ut detraheret superbiam omnis gloriæ, et ad ignominiam deduceret omnes inclytos terræ (8). * Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes; * Væ qui opulenti estis in Sion,

(1) Prov. 16. — (2) Job. 9. — (3) Esth. 7. — (4) II. Mac. 9. — (5) Act. 12. — (6) Hebr. 11. — (7) Amos. 3. — (8) Isai. 23.

et confiditis in monte Samariæ : optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israël (1).

* Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes (2). * Arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore. * Dispersit superbos mente cordis sui (3); * deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles; * esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.

* Ipse enim novit hominum vanitatem, et videns iniquitatem, nonne considerat (4)? * Apud ipsum est fortitudo et sapientia. * Adducit consiliarios in stultum finem, et Judices in stuporem; * balteum regum dissolvit, et præcingit func renes eorum; * ducit sacerdotes inglorios, et optimates supplantat : * commutans labia veracium, et doctrinam senum auferens. * Effundit despectionem super principes, eos qui oppressi fuerant relevans; * revelat profunda de tenebris, et producit in lucem umbram mortis; * multiplicat gentes, et perdit eas, et subversas in integrum restituit; * immutat cor principum populi terræ : * et decipit eos, ut frustra incedant per invium. * Palpabunt quasi in tenebris, et non in luce, et errare eos faciet quasi ebrios.

* Ecce omnia hæc vidit oculus meus, et audivit auris mea, et intellexi singula.

Væ coronæ superbiæ. Pedibus conculcabitur corona superbiæ : * quia dies Domini exercituum super omnem superbum, et excelsum, et super

(1) Amos. 6. --- (2) 1. Reg. 2. --- (3) Luc. 1. --- (4) Job. 11.

omnem arrogantem, et humiliabitur (1); * et super omnes cedros Libani sublimes et erectas, et super omnes quercus Basan, * et super omnes montes excelsos, et super omnes colles elevatos, * et super omnem turrim excelsam, et super omnem murum munitum, * et super omnes naves Tharsis, et super omne quod visu pulchrum est; * et incurvabitur sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum, et elevabitur Dominus solus in die illa.

* Exaltare Domine in virtute tua (2), * festina tempus (3) : * superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper (4). * Leva manus tuas in superbias eorum, * ut cognoscant, quia non est Deus nisi tu, et enarrent magnalia tua (5), * ut videant potentiam tuam, * ut cognoscant te, sicut et nos cognovimus; * contere caput principum inimicorum, dicentium : Non est alius præter nos, ut cognoscant, quia non est Deus nisi tu; * disperge superbos in furore tuo : et respiciens, omnem arrogantem humilia (6); * respice cunctos superbos, et confunde eos, et contere impios in loco suo; * imple facies eorum ignominia : et quærent nomen tuum, Domine (7). * Erubescant, et conturbentur, * et cognoscant quia nomen tibi Dominus : tu solus altissimus in omni terra.

* Viri superbi (8), * subditi ergo estote Deo (9):

(1) Isai. 2. — (2) Ps. 20. — (3) Eccle. 36. — (4) Ps. 73. — (5) Eccle. 36. — (6) Job. 40. — (7) Ps. 82. — (8) Jer. 43. — (9) Jac. 4.

* humiliamini in conspectu Domini : * humiliamini sub potenti manu Dei (1); * justum est subditum esse Deo (2).

II. PUNCTUM.

Humilitatis exaltatio. — Quantus quantus est Deus, ab humilitate honoratur et ab ea sola potest honorari. — In ea Deus sibi complacuit imprimis : — adeo ut ipse Dei filius eam dilexerit elegeritque, ut suis cohonestaretur exinanitionibus : — illi debeat suæ humanitatis gloriam : — eamdemque habuerit quasi regulam spei quæ habetur de æterna gloria.

* Benedicite sancti et humiles corde Domino (3), * quoniam Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram (4); * quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur (5). Nolite timere pusillus grex (6) : * exaltate illum quantum potestis; major est enim omni laude, et ab humilibus honoratur (7). * Laudate pueri Dominum (8), * linguas infantium fecit disertas (9). * Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra (10)! * Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, * nec superbi ab initio placuerunt tibi : sed humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio (11).

(1) 1. Pet. 5. — (2) II. Mac. 9. — (3) Dan. 3. — (4) Ps. 46. — (5) Eccle. 3. — (6) Luc. 12. — (7) Eccle. 43. — (8) Ps. 112. — (9) Sap. 10. — (10) Ps. 8. — (11) Judith. 9.

Benedicite sancti et humiles corde Domino, * qui in altis habitat (1), * et humilia respicit in cœlo et in terra; * suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem : * ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui; * qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem. * In sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu : ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritorum (2). * Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (3).

* Dicit Dominus : Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos (4)? * Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles (5); * sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; * et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret : * ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. * Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio : * ut quemadmodum scriptum est : Qui gloriatur, in Domine glorietur.

Benedicite sancti et humiles corde Domino : * * quia respexit humilitatem (6), * et omnium Dominus dilexit illam (7); * inclinavit cœlos et des-

(1) Ps. 112. — (2) Isai. 57. — (3) Jac. 4. — (4) Isai. 66. — (5) 1. Cor. 1. — (6) Luc. 1. — (7) Sap. 8.

cendit (1); ℣ Verbum caro factum est (2); ℣ Homo, homo natus est (3), semetipsum exinanivit formam servi accipiens (4) : * humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Respexit humilitatem, et in tantum dilexit eam (5).

* Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen (6) : * ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum ; * et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris; Dominus Jesus Christus, * pauper (7), * mansuetus (8), * humilis corde. * Audiant mansueti, et lætentur (9) ; *videant pauperes, et lætentur (10).

*Quia igitur humiliatus est (11) : *humiliemus illi animas nostras (12), et conregnabimus (13).

Quia igitur humiliatus est : * humiles spiritu salvabit (14).

Quia igitur humiliatus est : * de nostra humilitate gloriemur (15).

Quia igitur humiliatus est : * beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (16); beati mites, quoniam ipsi possidebunt

(1) Ps. 17. — (2) Joan. 1. — (3) Ps. 86. — (4) Philip. 2. — (5) Gen. 24. — (6) Philip. 2. — (7) Zach. 9. — (8) Matth. 21. — (9) Ps. 33. — (10) Ps. 68. — (11) III. Reg. 21. — (12) Judith. 8. — (13) II. Tim. 2. — (14) Ps. 33. — (15) Judith. 8. — (16) Matth. 5.

terram. * Nolite timere pusillus grex : quia complacuit patri vestro dare vobis regnum (1).

* Superbum sequitur humilitas : et humilem spiritu suscipiet gloria (2). * Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia : ubi autem est humilitas, ibi et sapientia ; * quia omnis qui se exaltat, humiliabitur ; et qui se humiliat, exaltabitur (3).

HUJUS CANTICI CONCLUSIO.

Devovet se anima humilis gloriæ Dei cum hominibus qui vere sunt humiles spiritu.

Benedicite sancti et humiles corde Domino ; * magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum (4). * Nos stulti propter Christum, nos infirmi, nos ignobiles (5), tanquam purgamenta hujus mundi facti ; * nam et tales quærit, qui adorent eum (6).

* Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria (7).

* Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam (8), * super misericordia tua et veritate tua.

Non nobis Domine da gloriam ; * nos enim quid sumus (9) ? * Nos mortales sumus (10), * pulvis sumus (11), * servi inutiles sumus. Sed no-

(1) Luc. 12. --- (2) Prov. 29. --- (3) Luc. 14. --- (4) Ps. 33. --- (5) 1. Cor. 4. — (6) Joan. 4. — (7) 1. Tim. 1. — (8) Ps. 113. — (9) Exod. 16. — (10) Act. 14. — (11) Ps. 102.

mini tuo da gloriam (1) : * quia nomen tibi Dominus : tu solus altissimus in omni terra (2). * Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia : tu es Deus solus (3), * omnium creator, terribilis, et fortis, justus, et misericors, qui solus es bonus Rex (4), * solus præstans, solus justus, et omnipotens, et æternus.

Domini tuo da gloriam super misericordia tua et veritate tua.

* Tibi, Domine, justitia : nobis autem confusio faciei (5) ; * Domine nobis confusio faciei : * tibi autem Domino Deo nostro misericordia ; Nomini tuo da gloriam, * Magno nomini tuo (6), * Nomini sancto tuo (7), Nomini tuo, quod est super omne nomen (8) :

* Et benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum, et laudabile, et superexaltatum in omnibus sæculis (9).

(1) Luc. 17. — (2) Ps. 82. — (3) Ps. 85. — (4) II. Mac. 1. — (5) Dan. 9. — (6) Jos. 7. — (7) I. Par. 16. — (8) Philip. 2. — (9) Dan. 3.

TRES

MEDITATIONES

DE POENITENTIA.

Christus, qui nostra in se transtulerat peccata, pœnitentiæ exemplum nobis exhibuit in horto Olivarum, sui intimis animi doloribus expressum.

Sunt autem hi dolores, tædium ex peccati pudore, tristitia peccati, ejusdemque pœnarum timor.

* Ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum : secuti sunt autem illum et discipuli (1). * Et cum pervenisset ad locum, * avulsus est ab eis quantum jactus est lapidis : * et cœpit pavere, et tædere (2), * contristari, et mœstus esse (3). * Tunc ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem : sustinete hic, et vigilate mecum. * Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans et dicens : Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste : verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu; * et factus in agonia, prolixius orabat (4). * Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

(1) Luc. 22. — (2) Marc. 14. — (3) Matth. 26. — (4) Luc. 22.

PRIMA MEDITATIO.

PRIMUS EFFECTUS PECCATI. PUDOR PECCATI.

I. PUNCTUM.

Querelæ Jesu apud Deum Patrem suum. — Jesus ingemens sub pondere peccatorum nostrorum, quæ sibi imputaverat, animi sui confusionem exponit Deo Patri suo, — eumdemque rogat, ut ea vertatur in omnium salutem, nemini autem in scandalum.

* Pater, * torrentes iniquitatis conturbaverunt me (1) : * Funes peccatorum circumplexi sunt me : * multiplicata est super me iniquitas superborum ; * supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.

* Deus, tu scis insipientiam meam : * culpa est omnis populi (2). * Delicta mea a te non sunt abscondita (3). * Neque iniquitas mea neque peccatum meum Domine : sine iniquitate cucurri et direxi (4). * Ego sum vermis, et non homo : opprobrium hominum, et abjectio plebis.

* Salvum me fac Deus (5), * transfer calicem istum a me (6). * Intraverunt aquæ usque ad animam meam (7); * infixus sum in limo profundi :

(1) Ps. 17. — (2) Numer. 15. — (3) Ps. 68. — (4) Ps. 58. — (5) Ps. 68. — (6) Luc. 22. — (7) Ps. 68.

et non est substantia. * Tædet animam meam vitæ meæ (1) : * quare posuisti me contrarium tibi? * Ita Pater : quoniam sic fuit placitum ante te (2).

* Non erubescant in me qui expectant te, Domine, Domine virtutum; non confundantur super me qui quærunt te, Deus Israël (3). * Quoniam propter te sustinui opprobrium : operuit confusio faciem meam; * quoniam zelus domus tuæ comedit me : et opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me. * Tu scis improperium meum, et confusionem meam, et reverentiam meam; * in conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me, * omnes peccatores terræ (4). * Sanctifica eos in veritate (5). * Pro eis ego sanctifico me ipsum : ut sint et ipsi sanctificati in veritate.

HOMINIS CONSIDERATIO SUPER HIS QUERELIS.

Attonito simul et grato animo expendit pudorem, ac fructum translationis hujus nostrorum peccatorum in Jesum Christum.

* Accedite gentes, populi attendite (6). * Intellexistis hæc omnia (7)? * Scitis quia ille apparuit ut peccata nostra tolleret : et peccatum in eo non est? * Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum (8). * Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi (9). Omnes nos quasi oves

(1) Job. 10. — (2) Matth. 11. — (3) Ps. 68. — (4) Ps. 118. — (5) Joan. 17. — (6) Isai. 34. — (7) Matth. 13. — (8) 1. Pet. 2. — (9) Joan. 1.

erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum (1). * Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso (2).

* Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum (3). * Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit (4). * Attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus. * Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, qui diximus: In umbra tua vivemus (5).

* Tu autem fili hominis, audi (6). * Gratiam fidejussoris ne obliviscaris; dedit enim pro te animam suam (7). * Repromissorem fugit peccator et immundus, * et ingratus sensu delinquet liberantem se.

II. PUNCTUM.

Querelæ Jesu apud homines. — Meritissimo debet homo cum Jesu suorum peccatorum subire confusionem.

* O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus (8). * Quid feci? Quæ est iniquitas mea, et quod peccatum meum (9)?

(1) Isai. 53. — (2) II. Cor. 5. — (3) Gal. 3. — (4) Isai. 53. — (5) Thren. 4. — (6) Ezech. 2. — (7) Eccle. 29. — (8) Thren. 1. — (9) I. Reg. 20.

* Quis est in vobis qui audiat hoc? attendat (1).

* Servire me fecisti in peccatis tuis : præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. * Tu scis improperium meum, et confusionem meam (2); * ergo et tu porta confusionem tuam (3). * Frons mulieris meretricis facta est tibi : noluisti erubescere (4); ergo et tu confundere, et porta ignominiam tuam (5). * Est confusio adducens gloriam et gratiam (6).

CONSIDERATIO HOMINIS SUPER HIS QUERELIS.

Confusionem hanc persentit homo, Jesumque orat, ut ejus in se recipiendo peccata velit illum a morte æterna eripere.

* Deus meus, confundor (7) : * confusio faciei meæ cooperuit me (8) * a voce exprobrantis.

*Ego sum reus (9), * ego qui peccavi (10) : * sed porta, quæso, peccatum meum (11), * omnes iniquitates meas (12), * ignorantias meas (13).

* Propter me tempestas hæc grandis venit : sed porta, quæso, peccatum meum (14); * Domine salva nos, perimus (15).

Porta, quæso, peccatum meum : * alioquin moriar (16); Porta peccatum meum, * usque ad

(1) Isai. 42. — (2) Ps. 68. — (3) Ezech. 16. — (4) Jer. 3. — (5) Ezech. 16. — (6) Eccle. 4. — (7) 1. Esd. 9. — (8) Ps. 43. — (9) 1. Reg. 22. — (10) 1. *Par. 21. — (11) 1. Reg. 15. — (12) Thren. 1. — (13) Ps. 24. — (14) Jon. 1. — (15) Matth. 8. — (16) Gen. 30.

mortem, mortem autem crucis : alioquin moriar (1).

* Væ nobis, quia peccavimus (2); * Domine, nobis confusio faciei (3) : tibi autem Domino Deo nostro misericordia et propitiatio.

* In te, Domine, speravi, non confundar in æternum (4).

II. MEDITATIO.

SECUNDUS EFFECTUS PECCATI. TRISTITIA PECCATI.

I. PUNCTUM.

Occupatio cordis Jesu in hoc tristitiæ statu. — Cum nostra in se recepisset Jesus peccata, expiat illa actibus perfectissimæ contritionis.

* Tristis est anima mea usque ad mortem (5).

* Deus, Deus meus respice in me : quare me dereliquisti ? longe a salute mea verba delictorum meorum (6).

* Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam (7).

* Tabescere me fecit zelus meus : quia obliti sunt verba tua inimici mei.

(1) Philip. 2. — (2) Thren. 5. — (3) Dan. 9. — (4) Ps. 30. — (5) Matth. 26. — (6) Ps. 21. — (7) Ps. 118.

Inimici mei! * Sunt fratres mei (1), * amici mei (2).

Tabescere me fecit zelus meus : * quia dereliquerunt pactum tuum. Derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam, ut auferant eam (3). * Pater dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt (4).

Tristis est anima mea usque ad mortem : * respice in faciem Christi tui (5); * cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies (6). * Memorare quæ mea substantia (7); memor esto, Domine, opprobrii servorum tuorum, quod continui in sinu meo; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies; * cor meum mœrens (8), * cor omnium filiorum hominum (9), * et omne cor mœrens non despicies (10).

*Parce Domine, parce populo tuo (11) : * quiescat ira tua, et esto placabilis super nequitia populi tui (12). *Consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna (13).

*Pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te (14). * Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam. * Pater sancte, * sanctifica eos in veritate. * Pro eis ego sanctifico me ipsum : ut

(1) Matth. 12. — (2) Joan. 15. — (3) III. Reg. 19. — (4) Luc. 23. — (5) Ps. 83. — (6) Ps. 50. — (7) Ps. 88. — (8) Thren. 1. — (9) III. Reg. 8. — (10) Isai. 1. — (11) Joel. 2. — (12) Exod. 32. — (13) Dan. 9. — (14) Joan. 17.

sint et ipsi sanctificati in veritate. * Notum feci eis nomen tuum, et notum faciam : ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.

II. PUNCTUM.

Effluentia tristitiæ ex corde Jesu, in cor hominis. — Jesus exprobrat homini duritiem cordis, eumdemque amanter hortatur ut veniat in partem sui doloris. — Homo sanctam hanc tristitiam postulat a Jesu, — qui eam promittit postulanti. — Exinde homo spiritu compunctionis afflatus et commotus vicissim spondet, hanc a se conservandam fore usque ad mortem.

COLLOQUIUM UTRIUSQUE.

Jesus. * O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus (1).

* Tristis est anima mea usque ad mortem (2). * Sustinui qui simul contristaretur, et non fuit : et qui consolaretur, et non inveni (3). * Nolite flere super me, sed super vos flete (4). * Iratus est mihi Dominus propter vos (5); * scindite corda vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum (6).

Tristis est anima mea usque ad mortem. * Væ vobis, qui ridetis (7); * miseri estote, et lugete, et plorate : risus vester in luctum convertatur, et

(1) Thren. 1. — (2) Marc. 14. — (3) Ps. 68. — (4) Luc. 23. — (5) Deut. 3. — (6) Joel. 2. — (7) Luc. 6.

gaudium in mœrorem (1). * Audi populo stulte, qui non habes cor : qui habentes oculos, non videtis : et aures, et non auditis (2). * Me ergo non timebitis, et a facie mea non dolebitis ?

Homo. * Redemptor vitæ meæ (3), * cui comparabo te ? vel cui assimilabo te ? cui exæquabo te, et consolabor te ? magna est enim velut mare contritio tua.

* Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum * et consolabor te (4). * Domine da mihi hanc aquam (5), * dulcem et amaram aquam (6), * aquam refectionis; Domine, da mihi hanc aquam, et consolabor te (7). * Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrimis, et consolabor te (8).

Jesus. * Recordare paupertatis, et transgressionis meæ, absynthii, et fellis : recordare (9), fluent aquæ (10).

Homo. * Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea (11). * ego qui malum feci (12).

Redemptor vitæ meæ, tristis est anima mea usque ad mortem, * ad destitutionem peccati (13): * simili autem pœnâ servus cum Domino afflictus est, usque ad mortem (14). * Caro ejus dum vivet dolebit, et anima illius super semetipso lugebit (15). * Recogitabo tibi omnes annos meos in

(1) Jac. 4. — (2) Jer. 5. — (3) Thr. 3. — (4) Jer. 9. — (5) Joan. 4. — (6) Jac. 3. — (7) Ps. 22. — (8) Ps. 79. — (9) Thren. 3. — (10) Ps. 147. — (11) Thren. 3. — (12) 1. Par. 21. — (13) Hebr. 9. — (14) Sap. 18. — (15) Job. 14.

amaritudine animæ meæ (1). * In abscondito plorabit anima mea, plorans plorabit, et deducet oculus meus lacrimam usque ad mortem (2).

Tristis est anima mea usque ad mortem : * utinam (3) * usque ad mortem, mortem crucis (4).

III. MEDITATIO.

TERTIUS EFFECTUS PECCATI. TIMOR POENARUM PECCATI.

I. PUNCTUM.

Hujus timoris pugna in ipso corde Jesu, cum ejusdem amore erga homines. — Jesus timore compulsus, rogat enixe patrem suum, ut paratum calicem transferat a se; — postulat iterum : — etiamque tertio : — donec timore cedente amori vadem se dat Patri suo ad mortem pro hominibus secundum arbitrium voluntatis paternæ.

* Exaudi Deus orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam (5) : * intende mihi, et exaudi me. Contristatus sum in exercitatione mea : et conturbatus sum, a voce inimici, et a tribulatione peccatoris : quoniam declinaverunt in me iniquitates. * Cor meum conturbatum est in me : et formido mortis cecidit super me. * Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt

(1) Isai. 38. -- (2) Jer. 13. — (3) Gen. 17. -- (4) Phil. 2. --- (5) Ps. 54.

me tenebræ. * Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste : verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu (1).

* Deus meus, clamabo per diem et non exaudies; et nocte, et non ad insipientiam mihi (2). * In te speraverunt patres nostri : speraverunt, et liberasti eos; * ad te clamaverunt, et salvi facti sunt. * Ego autem sum vermis, et non homo : opprobrium hominum, et abjectio plebis. * Ne discesseris a me : quoniam tribulatio proxima est : * ad defensionem meam conspice. * Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me : sed non quod ego volo, sed quod tu (3).

* Laboravi clamans : Defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum (4). Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua : secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me. * Ne avertas faciem tuam a puero tuo : quoniam tribulor, velociter exaudi me. * Pater, si vis, transfer calicem istum a me : verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat (5).

* Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua (6). * Ita, Pater : quoniam sic fuit placitum ante te. * Quia expedit ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat (7) : * parce Domine, parce populo tuo (8) : * tolle filium tuum unigenitum quem

(1) Matth. 26. — (2) Ps. 21. — (3) Marc. 14. — (4) Ps. 68. — (5) Luc. 22. — (6) Matth. 26. — (7) Joan. 11. — (8) Joel. 2.

diligis (1). * Domine Deus meus, vertatur, obsecro, manus tua in me : populus autem tuus non percutiatur (2).

* Animam meam pono pro ovibus meis (3).

HOMINIS CONSIDERATIO SUPER HOC.

Homo tantum amorem demiratur.

· Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo (4). * Hic est fratrum amator, et populi Israël (5); * qui doluit super miseriis eorum (6), * et ploravit super singulos (7); * et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram (8).

II. PUNCTUM.

Amoris triumphus in sudore sanguineo. — Jesus aperit hominibus mysterium sudoris sanguinei : — qui non ex alia fluxit causa, quam ex odio peccati simul et ex amore suo erga illos : — eosdem hortatur ad pœnitentiam, — cui se devovet homo, — excitans seipsum cum aliis peccatoribus ad ejus munia, — et totam suam fiduciam reponens in Jesu.

JESUS ET HOMINIS COLLOQUIUM.

Jesus. * O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus (9).

(1) Gen. 22. — (2) 1. Par. 21. — (3) Joan. 10. — (4) Isai. 57. — (5) II. Mac. 15. — (6) Judic. 10. — (7) Gen. 45. — (8) Luc. 22. — (9) Thren. 1.

Homo. ' Quis est iste qui venit, tinctis vestibus? Iste formosus in stola sua (1)?

Jesus. * Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.

Homo. * Quare ergò rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?

Jesus. * Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum. * Sicut aqua effusus sum : factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei (2). * Aspersus est sanguis super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi (3).

' Dies ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit. ' Circumspexi, et non erat auxiliator : quæsivi, et non fuit qui adjuvaret : salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi;

' Amor quoque (4) : * Quia fortis est ut mors dilectio (5). * Ego pono animam meam (6) : * nemo tollit eam a me.

Attendite, et videte. Ego qui loquor justitiam : * Pœnitentiam agite (7). * Quæ non rapui, exolvebam (8). ' Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces (9). * Terra ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus.

(1) Isai. 63. — (2) Ps. 21. — (3) Isai. 63. — (4) Eccle. 9. — (5) Cant. 8. — (6) Joan. 10. — (7) Matth. 4. — (8) Ps. 68. — (9) Job. 16.

O vos omnes, qui transitis per viam, attendite. * Vox sanguinis clamat : Pœnitentiam agite (1) ; * si pœnitentiam non egeritis, omnes peribitis (2).

Attendite : * nondum usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes (3) ;

Attendite et videte : * potestis bibere calicem, quem ego bibo (4) ?

Homo. * Possumus, * debemus (5), * bibemus (6).

Jesus. * Transeat a me calix iste (7), * ad te (8) : * ad te quoque perveniet, inebriaberis. * Sume calicem de manu mea, et propinabis de illo cunctis gentibus (9).

Homo. * Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi (10), * pro sanguine (11), * pro morte (12) ?

* Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo ; calicem (13) * mœroris et tristitiæ, mœroris et tristitiæ salutaris (14). * Agam et ego pœnitentiam (15) * in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis (16), * in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, * in fame et siti, in frigore, * in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus.

(1) Gen. 4. — (2) Luc. 13. — (3) Hebr. 12 — (4) Marc 10. — (5) Rom. 15. — (6) Amos. 4. — (7) Matth. 26 — (8) Thr. 4. — (9) Jer. 25. — (10) Ps. 115. — (11) IV Reg. 9. — (12) Eccle. 51. — (13) Ps. 115. — (14) Ezech 23. — (15) Jer. 18. — (16) II. Cor. 6.

* Accepi calicem de manu Domini (1) : * bibam illum (2) ; * et calix meus inebrians quam præclarus est (3).

* Redite prævaricatores ad cor (4); * venite adoremus, procidamus, ploremus (5).

* Lacrymatus est Jesus ; ploremus (6).

* Pœnituit eum (7) ; * pœniteamus (8), * semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes (9).

* Ait : Tristis est anima mea usque ad mortem (10) ; * oportet contristari (11).

* Factus in agonia, prolixius orabat (12) ; * vigilate et orate, ut non intretis in tentationem(13). * O homo (14), * pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia (15).

* Factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram (16); * nondum usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes (17).

* Apparuit illi angelus confortans eum (18), * et noluit consolari (19); consolabitur in nobis (20).

* Vox sanguinis clamat : Pœnitentiam agite(21); * hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra (22).

(1) Jer. 25. — (2) Matth. 26. — (3) Ps. 22. — (4) Isai. 46. — (5) Ps. 94. — (6) Joan. 11. — (7) Gen. 6. — (8) Judith. 8. - - (9) II. Cor. 4. — (10) Marc. 14. — (11) I. Pet. 1. — (12) Luc. 22. — (13) Matth. 26. — (14) Luc. 22. — (15) Eccle. 4. — (16) Luc. 22. — (17) Hebr. 12. — (18) Luc. 22. — (19) Matth. 2. — (20) II. Mac. 7. — (21) Gen. 4. — (22) Ps. 94.

Pœnituit ; pœniteamus : * et nos quidem justæ, nam digna factis recipimus : hic vero nihil mali gessit (1).

* Non habet necessitatem pro suis delictis hostias offerre (2). * Ipse est propitiatio pro peccatis nostris : non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi (3). * Ipse est directus divinitus in pœnitentiam gentis (4); * pœnitentibus dedit viam justitiæ, et confirmavit deficientes sustinere, et destinavit illis sortem veritatis. * Adeamus ergo cum fiducia (5), * ita ut confidenter dicamus : * non timebo mala, quoniam tu mecum es (6).

Jesus. * Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino : propugnator sum ad salvandum (7).

Attendite, et videte. * Ego effudi flumina (8) : * rupti sunt omnes fontes (9). * Hic est sanguis meus (10) : * haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris (11). * Omnes sitientes venite ad aquas. * Quid adhuc retardatis? et quid dicitis in his? animæ vestræ sitiunt vehementer (12).

Venite ad aquas, * properate (13), * lavamini mundi estote; * et suscipiat anima vestra disciplinam (14).

(1) Luc. 23. — (2) Hebr. 7. — (3) 1. Joan. 2. — (4) Eccli. 49. — (5) Hebr. 4. — (6) Ps. 22. — (7) Ps. 4. — (8) Eccle. 24. — (9) Gen. 7. — (10) Matth. 26. — (11) Isai. 12. — (12) Eccle. 51. — (13) Isai. 55. — (14) Eccle. 51.

QUINQUE

MEDITATIONES

DE PASSIONE JESU CHRISTI.

PRIMA MEDITATIO.

MUNDI VOLUPTATEM DAMNANT DOLORES CHRISTI.

I. PUNCTUM.

Jesus patiens condemnat hominem voluptuosum. — Hominis voluptuosi character. — Acerbitas dolorum Jesu Christi. — Oppositio illorum et vitæ voluptariæ aut delicatæ. — Jesu crucifixi, oblivio, quam parit vita voluptuosa, — et ex ea secutura mors infelicissima.

* Multi ambulant, quos sæpe dicebam, nunc autem et flens dico inimicos crucis Christi (1) : * quorum finis interitus : quorum deus venter est : et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.

* Dicebat Jesus ad eos (2) : * O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus (3).

(1) Philip. 3. — (2) Joan. 8. — (3) Thren. 1.

O vos omnes, * voluptatum amatores (1), * væ vobis, qui ridetis nunc (2).

Attendite : * audite, quæso, sermones meos, et agite pœnitentiam (3); * sustinete me, et ego loquar, et post mea, si videbitur, verba ridete.

* Attendite me, et obstupescite.

* Ceperunt animam meam (4); * venatione ceperunt me, quasi avem (5); * vinctum adduxerunt, et tradiderunt (6), * ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum. * Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus : faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me (7). Congregata sunt super me flagella, et ignoravi (8); * dinumeraverunt omnia ossa mea. Attendite et videte (9). * A planta pedis usque ad verticem non est sanitas (10).

Voluptatum amatores, attendite me, et obstupescite (11); * videte regem in diademate : * plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus (12); * exivit portans coronam spineam (13), * bajulans sibi crucem (14); * factus est Principatus super humerum ejus, * et duxerunt eum ut crucifigerent (15). * Ecce rex vester (16) : * et non cognovistis.

Attendite, et videte * spineam coronam (17).

(1) II. Tim. 3. — (2) Luc. 6. — (3) Job. 21. (4) Ps. 58. — (5) Thr. 3. — (6) Matth. 27. — (7) Isai. 50. — (8) Ps. 34. — (9) Ps. 21. — (10) Isai. 1. — (11) Cant. 3. — (12) Matth. 27. — (13) Joan. 19. — (14) Isai. 9. — (15) Matth. 27. — (16) Joan. 19. — (17) Marc. 15.

Regnum meum non est de hoc mundo (1); * vos de mundo hoc estis. * Exultate in lætitia : personate, et canite, et dicite (2) : * Coronemus nos rosis antequam marcescant. Væ vobis qui ridetis (3); * hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator non habet hæreditatem in regno Christi et Dei (4).

Attendite et videte * omne caput languidum, et omne cor mœrens (5). * Me ergo non timebitis, et a facie mea non dolebitis (6)? * Fili mi (7), * usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ(8)? * homo delicatus in te, et luxuriosus valde (9)! * Usquequo deliciis dissolveris filia vaga (10)?

Attendite, et videte * Regem vestrum (11); * crucifixerunt eum (12); * foderunt manus meas et pedes meos (13); * dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto (14); * diviserunt sibi vestimenta mea (15). * Væ qui opulenti estis (16), * qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris : qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti, * qui canitis ad vocem psalterii, * bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti.

* Hæc sors tua, parsque mensuræ tuæ (17), *

(1) Joan. 18. — (2) Jer. 31. — (3) Sap. 2. — (4) Ephes. 5. — (5) Isai. 1. — (6) Jer. 5. — (7) Eccle. 12. — (8) Jer. 4. — (9) Deut. 28. — (10) Jer. 31. — (11) Joan. 19. — (12) Marc. 15. — (13) Ps. 21. — (14) Ps. 68. — (15) Ps. 21. — (16) Amos. 6. — (17) Jer. 13.

factio lascivientium (1); * et opus Domini non respicitis (2).

* Opus grande (3), * admirabile opus (4), * opus justitiæ (5), * opus terribile (6), opus Domini, * qui salvavit vos (7), * et tradidit semetipsum hostiam Deo (8).

Attendite, et videte. * Auferetur factio lascivientium (9). * Tempus flendi, et tempus ridendi; væ vobis qui ridetis nunc (10) : * quia lugebitis et flebitis (11). * Despexistis omne consilium meum (12), * meum sanguinem (13), * mortem meam (14), * ego quoque in interitu vestro ridebo (15).

II. PUNCTUM.

Condemnat seipsum homo voluptuosus. — Damnationis hujus rationes.

* Quid respondebo (16)? * Confundor et erubesco (17).

* Ait Urias ad David : Arca Dei et Israel et Juda habitant in papilionibus, et dominus meus Joab, et servi Domini mei super faciem terræ manent : et ego ingrediar domum meam, ut comedam, et bibam, et dormiam cum uxore mea?

(1) Amos. 6. — (2) Isai. 5. — (3) 1. Par. 29. — (4) Eccle. 43. — (5) Isai. 32. — (6) Exod. 34. — (7) 1. Reg. 10. — (8) Ephes. 5. — (9) Amos. 6. — (10) Eccle. 3. — (11) Luc. 6. — (12) Prov. 1. — (13) Joan. 6. — (14) Gen. 50. — (15) Prov. 1. — (16) Job. 31. — (17) 1. Esd. 9.

Per salutem tuam, et per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc (1).

* Quid dicam (2)? * Justus perit, justus (3), * filius Dei (4), * Rex meus et Deus meus (5), * crucifixus Jesus (6);

Justus perit (7), * in ligno (8), * vulneratus propter iniquitates nostras : * ego autem adhuc delicatus (9), * ego carnalis (10), * voluptati operam dabo (11)?

* Omnis creatura ingemiscit : Ego autem adhuc delicatus, ego carnalis, voluptati operam dabo (12)?

* Dæmones contremiscunt (13); * Angeli pacis amare flebant (14); * stabat juxta crucem Jesu mater ejus (15), * et pervenit gladius usque ad animam : Ego autem adhuc delicatus, ego carnalis, voluptati operam dabo (16)?

* Velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, terra mota est, petræ scissæ sunt (17), * et monumenta aperta sunt (18); * tenebræ factæ sunt in universam terram, * obscuratus est sol : Ego autem adhuc delicatus, ego carnalis, voluptati operam dabo?

* Omnis turba eorum, qui simul aderant ad

(1) II. Reg. 11. — (2) Jos. 7. — (3) Isai. 57. — (4) Marc. 15. — (5) Ps. 83. — (6) Joan. 19. — (7) Act. 5. — (8) Isai. 53. — (9) II. Reg. 3. — (10) Rom. 7. — (11) Gen. 18. — (12) Rom. 8. — (13) Jac. 2. — (14) Isai. 33. — (15) Joan. 19. — (16) Jer. 4. — (17) Matth. 27. — (18) Luc. 23.

spectaculum istud, et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur : Ego autem adhuc delicatus, ego carnalis, voluptati operam dabo ?

* Oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam (1); • regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud (2), * qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis : Ego autem adhuc delicatus, ego carnalis voluptati operam dabo (3) ?

Per salutem animæ, non faciam rem hanc.

* Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam (4). * Nescit homo pretium ejus : nec invenitur in terra suaviter viventium (5). * Castigo corpus meum, et in servitutem redigo (6), * holocaustum offeram Domino (5), * hostiam viventem, sanctam, Deo placentem (7), * qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me (8).

Cogitavi, ut animum meum transferrem ad sapientiam, * Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam (9) : * ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis, Dei virtutem et sapientiam.

Voluptatum amatores, * abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis(10); *sicut

(1) Luc. 24. — (2) Matth. 11. — (3) Gal. 5. — (4) Eccle. 2. — (5) Job. 28. — (6) 1. Cor. 9. — (7) Judic. 11. — (8) Rom. 12. — (9) Gal. 2. — (10) 1. Cor. 1. — (11) Rom. 13.

in die honeste ambulemus, non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis. ‘ Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini : quia qui passus est in carne, desiit a peccatis (1) : ‘ ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis ; ‘ sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam.

II. MEDITATIO.

DE REGNO JESU CHRISTI SPINIS CORONATO ET CRUCIFIXO.

I. PUNCTUM.

Figura hujus mysterii. — Quamvis Joathan filius Gedeonis, et autor hujus fabulæ, nihil haberet in se quo significaretur Verbi divini autoritas, tamen Spiritus sanctus nobis transmisit illam cum sacris parabolis ad utilitatem nostram.

‘ Audite viri (2). ‘ Ierunt ligna, ut ungerent super se Regem : dixeruntque olivæ : Impera nobis. ‘ Quæ respondit : Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua et Dei utuntur et homines, et venire ut inter ligna promovear? ‘ Dixeruntque ligna ad arborem ficum : Veni, et super nos reg-

(1) 1. Pet. 4. — (2) Judic. 9.

num accipe. ℣ Quæ respondit eis : Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos, et ire, ut inter cætera ligna promovear ? ℣ Locutaque sunt ligna ad vitem : Veni; et impera nobis. ℣ Quæ respondit eis : Numquid possum deserere vinum meum quod lætificat Deum et homines, et inter ligna cætera promoveri ? ℣ Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum : Veni, et impera super nos. ℣ Quæ respondit eis : Si vere me Regem vobis constituitis, venite, et sub umbra mea requiescite; si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani.

II. PUNCTUM.

Aptatur hæc figura mysterio per colloquium hominis et Jesu. — Regnet Jesus super nos, non peccatum, neque caro, neque mundus. — Felicitas regni Jesu. — Infelicitas hominum qui nolunt illi sese subjicere. — Actus adorationis et consecrationis quo se devovet homo Jesu spinis coronato. — Lex præcipua ejus regni; — admiranda legis hujus praxis in omnibus Sanctis. — Sincerum desiderium imitandi illos, et vivendi sub regno Christi.

Homo. ℣ Constituam super me Regem (1);

℟ Non ergo regnet peccatum (2), ℟ neque caro (3), ℟ sive mundus (4). ℟ Vociferantur dicentes : Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos? Numquid possum

(1) Deut. 17. — (2) Rom. 6. — (3) Act. 2. — (4) 1. Cor. 2.

deserere pinguedinem meam ? Numquid possum deserere vinum meum (1)? * Verumtamen existimo, omnia detrimentum esse, ut Christum lucrifaciam (2).

* Rex meus (3), * Jesus portans coronam spineam (4).

* Egredimini et videte filiæ Sion Regem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die lætitiæ cordis ejus ; videte Regem (Pacificum) Salomonem (5), * Regem sæculorum (6), * Regem cœli (7). * Speciosus forma præ filiis hominum ; speciosus (8), * sicut lilium inter spinas (9), * imperabit nobis (10).

* Veni, Domine Jesu : impera nobis (11). * Dignus es, Domine Deus noster, accipere et gloriam et honorem.

Jesus. Si vere me Regem vobis constituitis, venite, et sub umbra mea requiescitè : * et non erit ultra spina dolorem inferens (12); *venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos (13); *tollite jugum meum super vos, et invenietis requiem animabus vestris; * jugum enim meum suave est et onus meum leve. Venite, et sub umbra mea requiescite : et non erit ultra spina dolorem inferens.

Si autem non vultis, egrediatur ignis de rham-

(1) Exod. 5. — (2) Philip. 3. — (3) Ps. 5. — (4) Joan. 19. — (5) Cant. 3. — (6) Tob. 13. — (7) Dan. 4. — (8) Ps. 44. — (9) Cant. 2. — (10) 1. Reg. 12. — (11) Apoc. 22. — (12) Ezech. 28. — (13) Matth. 11.

no, et devoret cedros Libani. * Dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli (1). * Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus (2). Tunc dicet : Discedite a me maledicti in ignem æternum (3).

Maledicti, * qui noluerunt, me regnare super se (4).

Homo. Domine Jesu, impera nobis * cum spinis (5) : * in umbra tua vivemus (6). * Pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me (7): * si Deus pro nobis, quis contra nos (8)?

Impera nobis : * servi tui sumus (9).

Veni, et super nos regnum accipe : * dignus es, Domine (10);

Veni, et impera super nos : * beati servi tui (11): * colligunt de spinis uvas (12).

Venite, filiæ Sion, * justorum animæ; venite, et videte Regem Salomonem in diademate; venite (13), * adoremus et procidamus : et ploremus ante Dominum qui fecit nos (14) : * quia ipse est Dominus Deus noster.

Adoremus, et procidamus, dicentes (15) : Ave Rex Judæorum; Ave * Rex gentium(16); Ave * Rex mundi(17); Ave * Rex Regum (18); Ave * Rex sæ-

(1) Matth. 26. — (2) Ps. 96. — (3) Matth. 25. — (4) Luc. 19. — (5) Judic. 8. — (6) Thren. 4. — (7) Job. 17. — (8) Rom. 8. — (9) Jos. 9. — (10) Apoc. 5. — (11) III. Reg. 10. — (12) Matth. 7. — (13) Sap. 3. — (14) Ps. 94. — (15) Matth. 27. — (16) Jer. 10. — (17) II. Mac. 7. — (18) Apoc. 17.

culorum ; Ave * Rex omnipotens (1) ; Ave * Rex justitiæ (2); Ave * Rex pacis ; Ave * Rex virtutum (3) ; Ave * Rex gloriæ (4);

* Adorate eum omnes angeli ejus (5).

Venite, filiæ Sion : ploremus ante Dominum qui fecit nos.

* Domine Rex (6), * confige timore tuo carnes meas, confige cum spinis (7) : * cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies (8), * dum configitur spina (9). * Anima mea (10), * sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire (11), * vocem incantantium, et venefici incantantis (12).

Domine Rex, veni, et impera nobis.

Jesus. Si vere me Regem vobis constituitis, * custodite leges meas (13).

* Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me (14).

* Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus.

* Qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus (15).

* Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis (16).

Homo. Domine Jesu, * beati servi tui qui audiunt sapientiam tuam (17).

(1) Esth. 13. — (2) Hebr. 7. — (3) Ps. 67. — (4) Ps. 23. — (5) Ps. 96. — (6) Esth. 13. — (7) Ps. 118. — (8) Ps. 50. — (9) Ps. 31. — (10) Tob. 13. — (11) Eccli. 28. — (12) Ps. 57. — (13) Levit. 18. — (14) Matth. 16. — (15) Luc. 14. — (16) Joan. 13. — (17) III. Reg. 10.

* Exarserunt sicut ignis in spinis (1); * carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis (2), * ludibria et verbera experti, insuper vincula et carceres (3); * lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt; circuierunt in melotis, in pellibus caprinis : *quibus dignus non erat mundus; in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terræ : * inter hujuscemodi lætabantur, et esse sub sentibus delicias computabant (4).

* Vita ipsa putabantur indigni, * egestate et fame steriles, qui rodebant in solitudine, squallentes calamitate et miseria; * mandebant herbas, et arborum cortices, et radix juniperorum erat cibus eorum; * in desertis habitabant torrentium, et in cavernis terræ, vel super glaream. * Inter hujuscemodi lætabantur, et esse sub sentibus delicias computabant.

Domine Jesu, esse sub sentibus delicias computabant!

* Dux itineris fuisti (5), * portans coronam spineam (6) * et bajulans crucem. * Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, Regis mei (7), * usque ad mortem, mortem autem crucis (8).

* Clamaveruntque (9) : * Exeamus igitur ad eum, improperium ejus portantes (10);

(1) Ps. 117. — (2) Gal. 5. — (3) Hebr. 11. — (4) Job. 30. — (5) Ps. 79. — (6) Joan. 19. — (7) Ps. 67. — (8) Philip. 2. — (9) Judic. 7. — (10) Hebr. 13.

Clamaveruntque : * Eamus et nos, ut moriamur cum eo (1);

Clamaveruntque : * Ecce quam bonum, et quam jucundum (2) * crucem portare post Jesum (3).

* Huic omnes testimonium perhibent (4), * testimonium veritatis illius fidele (5).

* Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium; deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen (6), * aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera Dei sedet.

* Dicamus illi (7) : * Nihil melius est, nihil dulcius, quam respicere in mandatis Domini (8).

* Gloria magna est sequi Dominum.

Ecce quam bonum, et quam jucundum, crucem portare post Jesum.

Exeamus igitur ad eum, improperium ejus portantes : * prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum (9).

(1) Joan. 11. — (2) Ps. 132. — (3) Luc. 23. — (4) Act. 10. — (5) Eccli. 31. — (6) Hebr. 12. — (7) Job. 37. — (8) Eccli. 23. — (9) Ps. 67.

TERTIA MEDITATIO.

DE MORTE JESU CHRISTI.

Anima fidelis occupationes variæ circa hoc mysterium, pro vario meditantium statu.

I. PUNCTUM.

Professio fidei. — Fidei testimonia credibilia nimis. — Actus fidei.

* Justus perit : justus (1), * Jesus Christus (2). * Rex regum et Dominus dominantium (3), * Filius Dei vivi perit (4) * crucifixus (5). * Quis credidit (6)?

* Velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, terra mota est, petræ scissæ sunt (7), monumenta aperta sunt : * tenebræ factæ sunt in universam terram (8), * obscuratus est sol. * Christus mortuus est (9), * sepultus est, resurrexit tertia die secundum Scripturas; * visus est Cephæ, et post hoc undecim : * deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul; * deinde visus Jacobo, deinde Apostolis omnibus. * Præbuit se ipsum vivum post passionem suam

(1) Isai. 57. — (2) Gal. 3. — (3) Apoc. 19. — (4) Matth. 16. — (5) Gal. 3. — (6) Isai. 53. — (7) Matth. 27. — (8) Luc. 23. — (9) 1. Cor. 15.

in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei (1);* videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum; * assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei (2). * Illi autem profecti prædicaverunt ubique, * dixerunt (3) : * Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ (4), * testamur, et annuntiamus vobis. * Prædicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis (5); * operati sunt justitiam (6), * juxta fidem defuncti sunt; * in occisione mortui sunt, * testimonio fidei probati. * Creditum est in mundo (7), * in universo mundo (8), * vicerunt regna (9). * Dominus regnavit (10). * Testimonia tua credibilia facta sunt nimis Domine : * Jesus Christus crucifixus, mortuus est (11); * credidi (12). * Vere hic homo Filius Dei erat (13): * vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit (14) : * vere filius Dei erat iste (15) : * Credo(16). * In fide vivo filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me (17). * Dominum Deum meum adoro(18) * Jesum Chris-

(1) Act. 1. --- (2) Marc. 16. — (3) Act. 4. — (4) 1. Joan. 1. — (5) Marc. 16. — (6) Heb. 11. — (7) 1. Tim. 3. — (8) Col. 1. — (9) Heb. 11. — (10) Ps. 92. --- (11) Gal. 3. --- (12) Ps. 115. --- (13) Marc. 15.--- (14) Isai. 53. — (15) Matth. 27. — (16) Joan. 9. — (17) Gal. 2. --- (18) Dan. 14.

tum, et hunc crucifixum (1), * serviens Domino cum omni humilitate (2); * ipse est enim Deus vivens (3), * in dextera Dei sedens (4).

II. PUNCTUM.

Exercitium pœnitentiæ. — Cum Jesu Christi mors vere sit pœna peccatorum nostrorum : — quantum percipere debemus dolorem ex peccatis nostris, — et timorem ex judiciis divinæ justitiæ?

Justus perit : * pœnitemini, et credite (5); pœnitemini, et convertimini, ut deleantur peccata vestra (6).

Justus perit : * quæ causa est?

* Dixerunt Judæi : Nobis non licet interficere quemquam (7).

* Pilatus accepta aqua lavit manus coram populo dicens : Innocens ego sum a sanguine justi hujus (8) ; * quid enim mali fecit iste, nullam causam mortis invenio in eo (9) : * sed neque Herodes : nam remisi vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est ei (10).

* Christe, quis est qui te percussit? * Venit vox de cœlo (11) : * propter sceleus populi mei percussi eum (12). * Hæc causa est (13) : * posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm (14) : * vulne-

(1) 1. Cor. 2. --- (2) Act. 20. --- (3) Dan. 6. --- (4) Col. 3. --- (5) Marc. 1. — (6) Act. 3. — (7) Joan. 18. — (8) Matth. 27. — (9) Luc. 23. — (10) Mat. 26. — (11) Joan. 12. — (12) Isai. 53. — (13) Josue. 5. — (14) Isai. 53.

ratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. * Christus Dominus captus est in peccatis nostris (1) : * peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum (2).

* Peccavimus cum patribus nostris (3) : * vere ego peccavi (4), * Christus mortuus est pro peccatis nostris (5) : * omnis mali causa est (6).

* Peccavi (7) : * ego interfeci Christum Domini; pœnitet me. Justus perit : (8)* ego sum reus (9), * reus corporis et sanguinis Domini : pœnitet me (10).

Christus mortuus est pro peccatis nostris; * delicta quis intelligit (11).

Christus mortuus est pro peccatis nostris; * in hoc ipso pœnitcamus (12), * quoniam mortuus est pro peccatis nostris (13).

Justus perit propter iniquitates nostras : Justus * quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ (14) * in sustentatione Dei. Ad ostensionem justitiæ suæ, in sustentatione Dei!

* Exemplum accipite (15) : * leve hoc (16). * Cum vidisset Rex Moab prævaluisse hostes (17), * arripiens filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum :

(1) Thren. 4. — (2) 1. Pet. 2. — (3) Ps. 105. — (4) Jos. 7. — (5) 1. Cor. 15. — (6) Sap. 14. — (7) II. Reg. 1. — (8) 1. Mach. 2. — (9) 1. Reg. 22. — (10) 1. Cor. 11. — 11) Ps. 18. — (12) Judit. 3. — (13) 1. Cor. 15. — (14) Rom. 3. — (15) Jac. 5. — (16) Ezech. 8. — (17) IV. Reg. 3.

et facta est indignatio magna in Israël, statimque recesserunt ab eo.

* Sic Deus (1) * proprio filio suo non pepercit, sed tradidit illum ad ostensionem justitiæ suæ in sustentatione Dei (2). * Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum (3) : * irascimini et nolite peccare, compungimini (4).

* Quis non timebit te, o Rex gentium (5)? Astabo tibi, et videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es (6). * Si in viridi ligno hæc, in arido quid fiet (7)? * horrendum est incidere in manus Dei viventis (8), * qui etiam proprio filio suo non pepercit (9). * Timeamus ergo (10); * ne peccemus Domino (11). * Nos facimus malum grande contra animas nostras (12).

III. PUNCTUM.

Varii characteres amoris. — Indignatio adversus eos qui vix, aut nullo modo agnoscunt amorem Christi in seipsos. — Admiratio charitatis qua impulsus Jesus mortuus est pro hominibus. — Adhortatio ad redamandum Jesum Christum. — Prophetica imprecatio in eos omnes qui non amant illum. — Effusio cordis in varios actus amoris.

* Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo; perit (13), *quia ipse voluit; voluit *propter

(1) Joan. 3. — (2) Rom. 8. — (3) Ps. 49. — (4) Ps. 4. — (5) Jer. 10. — (6) Ps. 5. — (7) Luc. 23. — (8) Heb. 10. — (9) Rom. 8. — (10) Heb. 4. — (11) II. Par. 28. — (12) Jer. 26. — (13) Isai. 57.

nimiam charitatem suam qua dilexit nos; dilexit nos : et non est qui recogitet in corde suo; dilexit nos (1) : * quis credidit (2)?

* O insensati, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos, Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus (3)? * Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis (4); * in hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit (5).

* Commendat autem charitatem suam in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus (6), * pro nobis mortuus est (7), * justus pro injustis, * pro transgressoribus (8), * pro impiis (9).

O insensati, * ingrati, scelesti (10), * sine affectione, * et voluptatum amatores magis quam Dei, * attendite, et videte : majorem hac dilectionem nemo habet (11), * nullus habuit (12), * et nemo habebit (13).

Attendite, et videte. * Hic est Jesus Rex (14) : * expedit vobis ut moriatur pro populo, et non tota gens pereat (15); * hic est fratrum amator (16), * qui doluit super miseriis eorum (17).

Hic est * bonus pastor, animam suam dat pro ovibus suis (18) : * ut vitam habeant, et abundantius habeant;

(1) Ephes. 2. — (2) Isai. 53. — (3) Gal. 3. — (4) Joan. 15. — (5) I. Joan. 3. — (6) Rom. 5. — (7) I. Pet. 3. — (8) Isai. 53. — (9) Rom. 5. — (10) II. Tim. 3. — (11) Thr. 1. — (12) I. Par. 29. — (13) I. Mac. 10. — (14) Mat. 27. — (15) Joan. 11. — (16) II. Mac. 15. — (17) Judic. 10. — (18) Joan 10.

Hic est, * misericors, et fidelis pontifex, ut repropitiaret delicta populi (1) : * per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa ;

Hic est, * Magister vester (2) : * sedens in cathedra sapientissimus (3), * factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ (4).

* Ecce Agnus Dei : ecce qui tollit peccatum mundi (5). * Omnes nos quasi oves erravimus, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm (6); * posuit eum in altare (7), * ut immolaret filium suum : * immolatus est : hic est (8) * peccatorum amicus (9); venit in hunc mundum peccatores salvos facere (10), * et tradidit semetipsum (11) * pro peccatoribus derelinquentibus legem (12).

* Hic est Deus noster (13), * qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem (14).

Hic est Jesus, * qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta (15).

Majorem hac dilectionem nemo habet.

Attendite et videte : * ecce quomodo amabat (16) : * Exuerunt eum (17) : * crucifixerunt : * foderunt manus, et pedes (18) : * dinumerave-

(1) Heb. 2. — (2) Matth. 23. — (3) II. Reg. 23. — (4) Heb. 5. — (5) Joan. 1. — (6) Isai. 53. — (7) Gen. 22. — (8) I. Cor. 5. — (9) Matth. 11. — (10) I. Tim. 1. — (11) Ephes. 5. — (12) Ps. 118. — (13) Baruc. 3. — (14) Heb. 12. — (15) Heb. 12. — (16) Joan. 11. — (17) Matth. 27. — (18) Ps. 21.

runt omnia ossa : * diviserunt sibi vestimenta, et super vestem miserunt sortem.

Ecce quomodo amabat, *portans coronam spineam (1), vulneratus (2), * plagatus (3), * attritus, cum sceleratis reputatus. Videte (4) : * non est species ei neque decor : * a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas; videte * despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, * quasi leprosum et percussum a Deo, et humiliatum.

Ecce quomodo amabat : * Prætereuntes blasphemabant eum (5) : * similiter, et summi Sacerdotes illudentes cum scribis dicebant : Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere; * dederunt in escam fel, et in siti potaverunt aceto (6) : * Jesus autem dicebat : Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt; ecce quomodo amabat (7), * non habens in ore suo redargutiones (8), * preces supplicationesque cum clamore valido et lacrymis offerens (9).

* Ecce quomodo amabat (10) : * cum accepisset acetum, dixit : Consummatum est. Ecce quomodo amabat : * cum dilexisset suos, in finem dilexit eos; in finem, *in charitate perpetua; in finem (11) * usque ad mortem, mortem autem crucis (12).

* Jesus emissa voce magna (13), * et inclinato

(1) Joan. 19. --- (2) Isai. 53. --- (3) Zach. 13. — (4) Isai. 53. --- (5) Marc. 15. --- (6) Ps. 68. — (7) Luc. 23. — (8) Ps. 37. — (9) Heb. 5. --- (10) Joan. 19. — (11) Jer. 31. --- (12) Philip. 2. --- (13) Marc. 15.

capite tradidit spiritum; ecce quomodo amabat (1) : * fortis est ut mors dilectio (2).

* Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua; ecce quomodo amabat (3) : * testimonium dant aqua et sanguis (4). * Hic est qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus : non in aqua solum, sed in aqua et sanguine (5) : * ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem (6).

* Et nunc quid Dominus Deus petit a te, nisi ut diligas eum? Ecce quomodo amabat (7), * quis credidit (8)? * Quis est homo qui diligit? Ecce quomodo amabat (9), * benignus super ingratos, et malos (10).

* Nos ergo diligamus Deum (11), * eo quod dilexerit (12); diligamus, * quoniam prior dilexit nos (13); diligamus, * quoniam ille animam suam pro nobis posuit.

* Peccatores diligentes se diligunt; nos ergo diligamus Deum, quoniam prior dilexit nos (14).

* Si quis est Domini, jungatur mihi : diligamus, diligamus, diligamus (15). *Diligite Dominum omnes Sancti ejus (16). *Qui timetis Dominum, diligite illum (17). * Anima mea (8), * in omni virtute

(1) Joan. 19. --- (2) Cant. 8. --- (3) Joan. 19. --- (4) 1. Joan. 5. — (5) 1. Joan. 5. — (6) Tit. 2. — (7) Deut. 10. — (8) Isai. 53. — (9) Ps. 33. — (10) Luc. 6. --- (11) 1. Joan. 4. — (12) III. Reg. 10 — (13) 1. Joan. 4. --- (14) Luc. 6. --- (15) Exod. 32. --- (16) Ps. 30. — (17) Eccli. 2. — (18) Ps. 102.

tua dilige eum (1); * in amore ejus delectare jugiter (2).

Justus perit : * ecce tempus tuum, tempus amantium (3); * ecce nunc tempus acceptabile (4) : * tempus flendi, tempus plangendi (5) : * tempus dilectionis, tempus pacis.

Diligamus, diligamus, diligamus.

* Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum in corruptione, amen (6).

* Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema (7).

* Diabolus stet a dextris ejus (8); * cum judicatur exeat condemnatus, et oratio ejus fiat in peccatum.

* Fiant dies ejus pauci : et episcopatum ejus accipiat alter. * Fiant filii ejus orphani, et uxor ejus vidua.

* Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent, et ejiciantur de habitationibus suis.

* Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus, et diripiant alieni labores ejus.

* Non sit illi adjutor, nec sit qui misereatur pupillis ejus.

* Fiant nati ejus in interitum : in generatione una deleatur nomen ejus.

* In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini, et peccatum matris ejus non deleatur.

(1) Eccli. 7. --- (2) Prov. 5. --- (3) Ezec. 16. --- (4) II. Cor. 6. --- (5) Eccle. 3. — (6) Ephes. 6. --- (7) I. Cor. 16. --- (8) Ps. 108.

Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema. * Dilexit maledictionem et veniet ei : noluit benedictionem, et elongabitur ab eo.

* Hoc opus eorum, qui * dilexerunt magis tenebras quam lucem (1), * gloriam hominum magis quam gloriam Dei;

Hoc opus eorum qui * non dilexerunt animas suas (2): * et facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt (3).

Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema.

* Væ mihi est (4), * Domine, qui amas animas (5), * si charitatem non habuero (6), * si oblitus fuero tui (7), * si non meminero tui; si non proposuero in principio lætitiæ meæ, * scire Jesum Christum, et hunc crucifixum (8). * Dixi : * Diligam te Domine (9).

Domine qui amas animas, * Deus dilectionis (10), * dilecte votorum meorum, diligam te (11), * quia me dilexisti (12). * Diligo Dominum meum (13), * qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me (14).

* Domine, amo te (15); * Domine, amo te; * Domine, amo te.

(1) Joan. 3. — (2) Apoc. 12. — (3) Osee. 9. — (4) 1. Cor. 9. — (5) Sap. 11. — (6) 1. Cor. 13. — (7) Ps. 136. — (8) 1. Cor. 2. — (9) Ps. 76. — (10) II. Cor. 13. — (11) Prov. 31. — (12) Joan. 17. — (13) Exod. 21. — (14) Gal. 2. — (15) Joan. 21.

Diligam te Domine, * ex toto corde, et ex tota anima, et ex omnibus viribus, et ex omni mente (1).

Diligam te Domine, * etiamsi oportuerit me mori tecum (2).

Diligam te Domine, diligam; * quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te (3)?

IV. PUNCTUM.

Lamentationes animæ. — Lugeat anima fidelis mortem Christi, — quam tota luxit natura. — Lugeat anima pœnitens; — lugeat anima amatrix Christi.

* Jesus clamans voce magna emisit spiritum(4): * Jesus expiravit (5): * Jesus inclinato capite tradidit spiritum (6).

* Quis dabit capiti meo aquam : et oculis meis fontem lacrymarum? et plorabo die ac nocte. Jesus expiravit (7), * Dominus meus (8), * Rex meus (9), * protector meus (10), * Salvator meus (11), dilectus meus (12), * lux mea (13), * spes mea (14), * vita mea (15).

* Obstupescite cœli super hoc, et portæ ejus desolamini vehementer (16); * desolati sunt (17),

(1) Luc. 10. — (2) Matth. 26. — (3) II. Reg. 18. — (4) Matth. 27. — (5) Luc. 23. — (6) Joan. 19. — (7) Jer. 9. — (8) Joan. 20. — (9) Ps. 5. — (10) Ps. 39. — (11) Ps. 24. — (12) Cant. 1. — (13) Mich. 7. — (14) Ps. 21. — (15) Thren. 3. — (16) Jer. 2. — (17) Nahum. 1.

* desolatæ sunt (1). * Factus est planctus magnus (2); * tenebræ factæ sunt in universam terram (3), * obscuratus est sol, * velum templi scissum est, terra mota est, petræ scissæ sunt (4).

* O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte : Jesus expiravit (5).

* Scriptum est (6) : * plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti (7), * venite adoremus, et procidamus, et ploremus ante Dominum qui fecit nos (8) : * quia ipse est Dominus Deus noster, et nos populos pascuæ ejus.

Ploremus, ploremus, ploremus.

Ploremus : * quoniam mortuus est pro peccatis nostris (9). * In hoc ipso pœniteamus, et indulgentiam ejus fusis lacrymis postulemus (10). * Christus mortuus est (11) : * beati qui lugent (12); * plangite sacerdotes, ululate ministri altaris, cubate in sacco ministri Dei mei : quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris (13). * Sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate omnes habitatores terræ in domum Dei vestri, et clamate ad Dominum : * parce Domine, parce populo tuo.

Christus mortuus est : * a facie ejus contremuit terra, moti sunt cœli, sol et luna obtenebrat

(1) Jer. 30. — (2) 1. Mac. 1. — (3) Luc. 23. — (4) Mat. 27. — (5) Thr. 1. — (6) Mat. 4. — (7) Zach. 12 — (8) Ps. 94. — (9) 1. Cor. 15. — (10) Judith. 8. — (11) Rom. 14. — (12) Matth. 5. — (13) Joel. 1.

sunt, et stellæ retraxerunt, splendorem suum; * nunc ergo convertimini in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. * Scindite corda vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum : * congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos : egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo.

* Vocate lamentatrices, et veniant : ad eas, quæ sapientes sunt, mittite, et properent (1); * festinent et assumant super nos lamentum : deducant oculi nostri lacrymas, et palpebræ nostræ defluant aquis : * quia vox lamentationis audita est de Sion : * Jesus emissa voce magna expiravit (2). * Audite ergo mulieres verbum Domini(3): * Jesus dixit : Super vos flete, et super filios vestros (4). * Assumant aures vestræ sermonem oris ejus, et docete filias vestras lamentum, et unaquæque proximam suam planctum : quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris (5).

Ploremus, ploremus, ploremus. Ploremus : * ecce tempus amantium (6), * tempus flendi (7). * Sequebatur illum multa turba populi, et mulierum, quæ plangebant et lamentabantur eum (8); * stabant juxta crucem Jesu, mater ejus, soror matris ejus, Maria Magdalene (9); * discipulus ille quem diligebat Jesus : et lamentabantur eum;

(1) Jer. 9. — (2) Marc. 15. — (3) Jer. 9. — (4) Luc. 23. — (5) Jer. 9. — (6) Ezech. 16. — (7) Eccle. 3. — (8) Luc. 23. — (9) Joan. 19.

* Petrus flevit amare. Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum? et plorabo die ac nocte; et plorabo (1) * Jesum filium Dei (2), * Jesum, virum approbatum virtutibus et prodigiis et signis (3), * autorem fidei, et consummatorem Jesum (4), * pastorem magnum ovium.

Plorabo die, plorabo nocte. * Jesu fili Dei Altissimi (5), * exitus aquarum deduxerunt oculi mei : quia non custodierunt legem tuam (6).

* Plorabit anima mea, plorans plorabit, et deducet oculus meus lacrymam (7) : * quia longe factus est a me consolator (8), * periit finis meus et spes mea, * lapsa est in lacum vita mea, * defecit gaudium cordis nostri.

* Domine redemptor vitæ meæ, * dilecte votorum meorum (9) : * dolco super te, decore nimis, et amabilis. Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam (10), * et diligam et diligam (11). Ploremus, ploremus, ploremus. Plorabo et diligam. Diligam et plorabo.

(1) Luc. 22. — (2) Hebr. 4. — (3) Act. 2. — (4) Hebr. 12. — (5) Marc. 5. — (6) Ps. 118. — (7) Jer. 13. — (8) Thr. 1. — (9) Prov. 31. — (10) II. Reg. 1. — (11) Joan. 14.

V. PUNCTUM.

Occupatio spei. — Fundamentum simul ac felicitas spei Christianæ.

* Justificati ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum (1) : * per quem et habemus accessum, per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. * Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus : scientes quod tribulatio patientiam operatur, * patientia autem probationem, probatio vero spem, * spes autem non confundit : quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. * Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est? * Commendat autem charitatem suam Deus in nobis : quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, * Christus pro nobis mortuus est; multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum; * si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus : multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.

* Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? * qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum : quomodo non etiam cum illo omnia nobis

(1) Rom. 5.

donavit ? * Quis accusabit adversus electos Dei ? Deus qui justificat. * Quis est qui condemnet ? Christus Jesus, qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui etiam interpellat pro nobis.

* Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo(1).

VI. PUNCTUM.

Praxis multiplex pietatis erga Jesum e cruce pendentem. — Christianus Jesum crucifixum offerat Deo Patri grate ac confidenter : — adoret animo ejus gloriæ studioso : — habeat semper oculis suis præsentem : — veneretur osculatione pedem ejus et manuum, lacrymarumque effusione : — fronti, ori, cordi, brachio applicet quasi signaculum : — obsecret ferventer, ut vetus homo crucifigatur in se.

* Dicit Pilatus : Quid faciam de Jesu, qui dicitur Christus (2) ?

* Et ego dicam : Quid faciam de Jesu, * qui crucifixus est ?

* Eum holocaustum offeram Domino (3) * Deo Patri, et dicam (4) * gratias agens (5) : * Pater misericordiarum (6), * quia fecisti hanc rem et non pepercisti filio tuo unigenito propter me (7), * benedicam tibi ; * confitebor tibi Domine Deus in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in æternum (8) ; * misericordiam, et judicium can-

(1) Thr. 3. — (2) Matth. 27. — (3) Judic. 11. — (4) Col. 1. — (5) Act. 28. — (6) II. Cor. 1. — (7) Gen. 22. — (8) Ps. 85.

tabo tibi Domine. Pater misericordiarum (1), * respice in faciem Christi tui, et (2) * dimitte universa delicta mea (3);

Respice in faciem Christi tui, * et non intres in judicio cum servo tuo (4).

Quid faciam de Jesu? * Adorabo (5) * procidens ad pedes ejus, et dicam (6): * Adorate eum omnes angeli ejus (7); * omnis terra adoret te, et psallat tibi : psalmum dicat nomini tuo (8). Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, et honorem, et virtutem : quia tu creasti omnia (9); * dignus es Domine : quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo. * Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem.

Quid faciam de Jesu? * Respice in faciem Christi (10), * sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens (11). * Erit vita tua quasi pendens ante te; * erit quasi monumentum ante oculos tuos (12). * Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ : ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri : ita oculi nostri (13) * aspicientes in autorem fidei, et consummatorem Jesum (14).

(1) Ps. 100. — (2) Ps. 83. — (3) Ps. 24. — (4) Ps. 142. — (5) Ps. 137. — (6) Act. 10. — (7) Ps. 96. — (8) Ps. 65. — (9) Apoc. 4. — (10) Ps. 83. — (11) Deut. 6. — (12) Exod. 13. — (13) Ps. 122. — (14) Hebr. 12.

* Ad Dominum aspiciam, et dicam (1) : ' Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem (2). * Dominus lux mea est (3), * sol justitiæ (4), * sol illuminans per omnia (5), ' dans sanitatem, et vitam, et benedictionem : ' sol in exitu vas admirabile, * fornacem custodiens in operibus ardoris, * radios igneos exsufflans, et refulgens radiis suis : ' et in conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere ?

' Cæci intuemini ad videndum (6), * sedentes in tenebris (7) * accedite ad eum, et illuminamini ; accedite (8), * calefacimini ; accedite (9), * concipietis ardorem (10).

Ad Dominum aspiciam, et dicam : Dulce lumen ! * Lumen oculorum meorum (11) ! * Lumen sapientiæ (12) ! * lumen vitæ (13) ! * Justitiæ lumen (14) ! * lumen cœli (15) ! * Admirabile lumen (16) ! ' inextinguibile lumen (17) !

Ad Dominum aspiciam, et dicam : Delectabile est oculis videre solem.

Quid faciam de Jesu ? * Mulier, quæ erat in civitate peccatrix (18), * stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et osculabatur pedes ejus. * Tu fac similiter.

Quid faciam de Jesu ? * Jesu Fili Dei (19), * po-

(1) Mich. 7. — (2) Eccle. 11. — (3) Mich. 7. — (4) Malac. 4. — (5) Eccli. 42. — (6) Isai. 42. — (7) Ps. 106. — (8) Ps. 33. — (9) Jac. 2. — (10) Isai. 33. — (11) Ps. 37. — (12) Sap. 6. — (13) Joan. 8. — (14) Sap. 5. — (15) Job. 12. — (16) 1. Pet. 2. — (17) Sap. 7. — (18) Luc. 7. — (19) Marc. 5.

nam te quasi signaculum (1) * in fronte (2); * non enim erubesco Evangelium (3).

Ponam te * super labia mea signaculum certum, ut non lingua mea perdat me (4). * Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam (5).

Ponam te * ut signaculum super cor (6); * exultabit cor meum in salutari tuo (7) : * mirabitur et dilatabitur (8).

Ponam te * ut signaculum super brachium; * si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo (9).

Quid faciam de Jesu? * Deus meus clamabo per diem, et nocte (10) : * Aspice in me et miserere mei (11). * Magister bene dixisti (12) : * si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum (13) : * memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti : * Trahe me post te; trahe me (14) * usque ad mortem crucis (15).

Aspice in me; * ecce homo (16), * homo peccator (17), * vetus homo (18). * Crucifigatur, crucifigatur (19).

Clamabo per diem et nocte : Aspice : * Crucifige, crucifige eum (20).

(1) Agg. 2. — (2) Apoc. 17. — (3) Rom. 1. — (4) Eccli. 22. — (5) Ps. 50. — (6) Cant. 8. — (7) Ps. 12. — (8) Isai. 9. — (9) Ps. 26. — (10) Ps. 21. — (11) Ps. 118. — (12) Luc. 20. — (13) Joan. 12. — (14) Ps. 118. — (15) Cant. 1. — (16) Phil. 2. — (17) Joan. 19. — (18) Luc. 5. — (18) Rom. 6. — (19) Matth. 27. — (20) Luc. 23.

Clamabo, clamabo; * et cum exaudieris, clamabo (1) : * Christo confixus sum cruci (2).

IV. MEDITATIO.

DE POTESTATE JESU CRUCIFIXI ADVERSUS HOSTES NOSTRÆ SALUTIS.

I. PUNCTUM.

Figura hujus potestatis. — Origo et virtus serpentis ænei. — Considerationes SAPIENTIS super hoc prodigio tam stupendo.

* Misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas et mortes plurimorum (3) * venerunt ad Moysen, atque dixerunt : Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum et te : ora ut tollat a nobis serpentes. Oravitque Moyses pro populo; et locutus est Dominus ad eum : Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo : qui percussus aspexerit eum, vivet. * Fecit ergo Moyses serpentem æneum, et posuit eum pro signo : quem cum percussi aspicerent, sanabantur.

* Tu autem Deus noster, suavis et verus es, patiens, et in misericordia disponens omnia (4). * Cum illis supervenit sæva bestiarum ira, morsi-

(1) III. Reg. 8. — (2) Gal. 2. — (3) Num. 21. — (4) Sap. 15.

bus perversorum colubrorum exterminabantur: * sed non in perpetuum ira tua permansit, sed ad correptionem in brevi turbati sunt, signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuæ. * Qui enim conversus est, non per hoc quod videbat, sanabatur, sed per te omnium salvatorem.

* In hoc autem ostendisti * (Ægyptiis), inimicis nostris, quia tu es, qui liberas ab omni malo. * Illos enim locustarum et muscarum occiderunt morsus, et non est inventa sanitas animæ illorum: * Filios autem tuos nec draconum venenatorum vicerunt dentes; misericordia enim tua adveniens sanabat illos. * In memoria enim sermonum tuorum examinabantur, et velociter salvabantur, ne in altam incidentes oblivionem, non possent tuo uti adjutorio. * Etenim neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia; * tu es enim, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem, et deducis ad portas mortis, et reducis.

II. PUNCTUM.

Hanc sibi figuram aptat Jesus Christus. — Imbecilliores homines hauriunt fortitudinem ex cruce Jesu Christi.

* Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto; ita exaltari oportet filium hominis (1). * Ut omnis

(1) Joan. 3.

qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. ' Dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, et super omnem virtutem inimici : et nihil vobis nocebit (1) ? ' Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis : et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet (2). * Nolite timere (3) : * non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo (4).

III. PUNCTUM.

Praxis hujus applicationis.

* Quasi a facie colubri fuge peccata (5). Dentes ejus, interficientes animas hominum. Fuge * juxta crucem Jesu (6), * signum salutis (7). ' Pereuntibus quidem stultitia est : iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est; Dei virtus est (8) * adversus insidias diaboli (9), * adversus carnem et sanguinem, adversus potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ.

* Si mordeat serpens, fuge juxta crucem Jesu : qui percussus aspexerit eum, vivet (10).

Fuge juxta crucem Jesu signum salutis : * super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem (11).

(1) Luc. 10. — (2) Isai. 11. — (3) II. Par. 20. — (4) Isai. 11 — (5) Eccli. 21. — (6) Joan. 19. — (7) Sap. 16 — (8) I. Cor. 1. — (9) Ephes. 6. — (10) Eccle. 10. — (11) Ps. 90.

Fuge * in Calvariæ locum : non nocebunt, et non occident in universo monte sancto (1). * Respice in faciem Christi : qui percussus aspexerit eum, vivet (2). Ora ut tollat serpentes.

IV. PUNCTUM.

Oratio ad Jesum Christum crucifixum, in statu tentationis et peccati.

* Domine, qui dixisti (3) : * Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis ; ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Domine, qui conversus est, non per hoc quod videbat, sanabatur, sed per te omnium salvatorem.

Domine, * memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti (4).

* Circumdederunt me dolores mortis, et pericula, inferni invenerunt me (5); quomodo si fugiat vir a facie leonis, et occurrat ei ursus : et ingrediatur domum, et innitatur manu sua super parietem, et mordeat eum coluber (6). * O Domine libera animam meam (7).

* Ecce draco magnus (8), * Domine, invadit me (9) : * immundus spiritus (10), et assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, * Superbiam (11), * avaritiam (12), * luxuriam (13), * invi-

(1) Joan. 19. — (2) Ps. 83. — (3) Gen. 32. — (4) Ps. 118. — (5) Ps. 114. — (6) Amos. 5. — (7) Ps. 114. — (8) Apoc. 12. — (9) Tob. 6. — (10) Luc. 11. — (11) Lev. 26. — (12) Exod. 18. — (13) Judæ.

diam (1), * crapulam (2), * iram (3), * languorem (4).

* Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum a me : ad defensionem meam conspice (5). * Ad te Domine, levavi animam meam (6) : * Deus meus in te confido : * oculi mei semper ad Dominum, * donec misereatur nostri (7). * Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi (8) * Clamabo per diem et nocte : O Domine libera animam meam (9).

* Domine, vim patior, responde pro me (10); velociter exaudi me : defecit spiritus meus (11) : * defecit in salutare tuum anima mea (12) : * defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes : Quando consolaberis me ?

* Deus in adjutorium meum intende : Domine ad adjuvandum me festina (13). * Confundantur et revereantur qui quærunt animam meam. * Adjutor meus et liberator meus es tu : Domine, ne moreris. O Domine, libera animam meam.

* Serpens decepit me (14), * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te (15). * Vulnerata est anima ejus (16) : * sana me Domine, et sanabor (17); * respice in me, et miserere mei (18); * sana animam meam, quia peccavi tibi.

(1) Philip. 1. — (2) Eccl. 37. — (3) Col. 3. — (4) Osee. 5. — (5) Ps. 21. — (6) Ps. 24. — (7) Ps. 122. — (8) Ps. 142. — (9) Ps. 21. — (10) Isai. 38. — (11) Ps. 142. — (12) Ps. 118. — (13) Ps. 69. — (14) Gen. 3. — (15) Ps. 85. — (16) Eccli. 27. — (17) Jer. 17. — (18) Ps. 24. — (19) Ps. 40.

* Dic animæ meæ : Salus tua ego sum (1).

V. PUNCTUM.

Vox interior Jesu crucifixi ad animam.

*Confide (2), * ego protector tuus sum (3). *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit (4). *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient, * serpentes tollent.

Confide; * ego enim Dominus sanator tuus (5), * et a vulneribus tuis sanabo te (6).

(1) Ps. 34. — (2) Matth. 9. — (3) Gen. 15. — (4) Marc. 16. — (5) Exod. 15. — (6) Jer. 30.

V. MEDITATIO.

CANTICUM LAUDIS AD GLORIAM CRUCIS JESU CHRISTI.

Canticum istud instar est elogii quod Ecclesia Cruci concinit in suis precibus.

I. PUNCTUM.

Vox animæ. — Prima imitatio horum verborum Ecclesiæ : Crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis, sylva talem nulla profert fronde, flore, germine. In hymno ad laudes tempore Passionis.

* Ecce arbor in medio terræ (1), * crux Christi (2) * benedictum lignum (3), * magna arbor et fortis, et proceritas ejus contingens cœlum : aspectus illius usque ad terminos universæ terræ (4) : * folia ejus pulcherrima, et fructus ejus nimius : et esca universorum in ea.

Ecce arbor in medio terræ, crux Christi.

*Cui similis (5) ? * Cedri non fuerunt altiores in paradiso Dei, abietes non adæquaverunt summitatem ejus, et platani non fuerunt æquæ frondibus illius : omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi, et pulchritudini ejus; * æmulata sunt

(1) Dan. 4. — (2) 1. Cor. 1. — (3) Sap. 14. — (4) Dan. 4. — (5) Ezech. 31.

omnia ligna voluptatis, quæ erant in paradiso Dei : * quia Dominus regnavit [a] a ligno (1).

Cui similis? * Respondebit (2).

[a] Judæi arguuntur a sancto Justino sustulisse et abrasisse in septuaginta virorum interpretatione vocem hanc, quæ denotat evidentissime crucem Salvatoris. Tertullianus, sanctus Augustinus, et alii plures authores illam usurpant tanquam ex sacra Scriptura, et in precibus Ecclesiæ ascribitur prophetæ Davidi.

II. PUNCTUM.

Vox interior crucis ad animam.

* Nolite me considerare (3) * velut lignum aridum in eremo (4). * Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion : * quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris; * ego quasi terebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiæ; * ego quasi vitis fructificavi; * ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei; * in me gratia omnis viæ, in me omnis spes vitæ et virtutis. * Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini.

(1) Ps. 95. — (2) Hab. 2. — (3) Cant. 1. — (4) Eccli. 6.

III. PUNCTUM.

Vox animæ quæ invitat omnes homines ad adorationem crucis Jesu Christi. — Secunda imitatio horum verborum quibus utitur Ecclesia ad crucis adorationem in die Parasceves : Ecce lignum crucis, in quo salus et vita mundi pependit : Venite adoremus.

* Accedite gentes, et audite (1) : * populus sanctus, redempti a Domino.

Ecce arbor in medio terræ, Crux Christi : * venite adoremus (2).

Ecce arbor, Crux Christi, benedictum lignum, * in quo passus est : venite adoremus (3).

Ecce arbor, Crux Christi, * benedictum lignum, per quod sit justitia : venite adoremus (4).

Ecce arbor, Crux Christi, benedictum lignum, * in quo beneplacitum est Deo : venite adoremus (5).

Ecce arbor, Crux Christi, benedictum lignum, * in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus : venite adoremus (6).

Ecce arbor, Crux Christi, benedictum lignum, * in quo habemus fiduciam : venite adoremus.

Ecce arbor, Crux Christi, benedictum lignum, * scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere : venite adoremus.

Ecce arbor, Crux Christi, benedictum lignum,

(1) Isai. 34. — (2) Ps. 94. — (3) Hebr. 2. — (4) Sap. 14. — (5) Ps. 67. — (6) Ephes. 1.

* signum salutis (1), * in quo et credentes signati estis : venite adoremus (2).

Ecce arbor, Crux Christi, benedictum lignum, * in quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus : venite adoremus (3).

IV. PUNCTUM.

Vox interior crucis ad animam.

* Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino (4) : * qui autem in me peccaverit, lædet animam suam ; omnes, qui me oderunt, diligunt mortem.

* In omni terra steti (5) ; * in omni gente primatum habui, * omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi, et in plenitudine sanctorum detentio mea.

* Verumtamen miraculum meum non te terreat (6). * Creator omnium requievit in tabernaculo meo (7). * Dextera Domini fecit virtutem : dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem (8). * Hæc dicit Dominus (9) : Exaltavi lignum humile, * et hoc erit monimentum nominis mei (10).

Verumtamen miraculum meum non te terreat :

(1) Sap. 16. — (2) Ephes. 1. — (3) I. Pet. 1. — (4) Prov. 8. — (5) Eccli. 24. — (6) Job. 33. — (7) Eccli. 24. — (8) Ps. 117. — (9) Ezech. 17. — (10) II. Reg. 18.

spiritus meus dulcis (1). Nonne a ligno indulcata est aqua [a] amara. * Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum (2) : * tunc deliciis affluës (3).

[a] Istud contigit quando Moyses misit lignum sibi a Domino indicatum in aquas amaras, quæ in dulcedinem versæ sunt. *Exod.* 15, 25.

V. PUNCTUM.

Vox animæ ad crucem. — Tertia imitatio horum verborum Ecclesiæ: O Crux ave spes unica hoc Passionis tempore, auge piis justitiam, reisque dona veniam. In hymno Vexilla Regis, etc.

Crux, * contemptibile lignum (4), * lignum humile (5)!

Crux Christi, * forte lignum et imputribile (6), * lignum suavitatis (7), * lignum vitæ his qui apprehenderint eam: et qui tenuerit eam, beatus (8)!

Crux Christi, * spes orbis terrarum (9), * cuncta salus mea, et omnis voluntas (10)! * Mihi absit gloriari nisi in cruce Jesu Christi (11); * nec est quidquam ex ea quod non germinet (12).

Crux Christi, spes orbis terrarum, * electa ut sol (13)! * illuminare his qui in tenebris, et in umbra mortis sedent (14); * aperi oculos istorum (15),

(1) Eccle. 24. — (2) Cant. 8. — (3) Job. 22. — (4) Sap. 10. — (5) Ezech. 17. — (6) Isai. 40. — (7) Baruc. 5. — (8) Prov. 3. — (9) Sap. 14. — (10) II. Reg. 23. — (11) Gal. 6. — (12) II. Reg. 23. — (13) Cant. 6. — (14) Luc. 1. — (15) IV. Reg. 6.

* ut convertantur a tenebris ad lucem, et de potestate satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter Sanctos per fidem (1).

*Adauge nobis fidem (2), *justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem (3) : * ut crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus (4).

Crux Christi, * quam pulchra es amica mea (5)! pulchra es amica mea, suavis et decora. * Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi : et fructus ejus dulcis gutturi meo.

Crux Christi, * terribilis ut castrorum acies ordinata! * si consistant adversum me castra, non timebit cor meum (6).

Crux Christi, * scutum cordis (7)!

Crux Christi, · lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum (8) : * quam pulchra es, et quam decora in deliciis (9)! * Statura tua assimilata est palmæ. * Dixi : Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus.

* Fructus est (10)

Charitas, gaudium, pax, patientia,

Benignitas, bonitas, longanimitas, * mansuetudo,

Fides, modestia, continentia, castitas.

* Et quid adhuc dicam (11)?

(1) Act. 26. — (2) Luc. 17. — (3) 1. Tim. 6. — (4) Ephes. 4. — (5) Cant. 4. — (6) Ps. 26. — (7) Thr. 3. — (8) Apoc. 22.---(9) Cant. 7.--- (10) Gal. 5.—(11) Hebr. 11.

Crux Christi, * fasciculus myrrhæ mihi (1); Fasciculus myrrhæ mihi * super cor (2): * Ut odore illius perfruatur (3). * Gaudebit cor meum (4), * Consolabitur (5), * Confortabitur (6), * Gloriabitur (7); Fasciculus myrrhæ mihi super cor, * sive in morte, sive in vita (8).

(1) Cant. 1. — (2) Jerem. 3. — (3) Exod. 30. — (4) Prov. 23. — (5) II. Mach. 7. — (6) Isai. 42. — (7) Eccli. 30. — (8) II. Reg. 15.

QUINQUE

MEDITATIONES

DE BONA MORTE.

PRIMA MEDITATIO

INTUITUS BONÆ MORTIS.

I. PUNCTUM.

Primus intuitus respectu præteriti temporis. — Justis quidem mors est malorum omnium finis; — impiis autem terminus gaudiorum omnium.

* Audivi vocem de cœlo dicentem mihi : Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis (1). * Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit : neque luctus, neque dolor erit ultra. * Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus. * O mors, bonum est judicium tuum homini indigenti, et qui minoratur viribus (2), * defecto ætate, et cui de omnibus cura est, et incredibili, qui perdit patientiam.

(1) Apoc. 14. — (2) Eccli. 41.

Dicit spiritus ut requiescant a laboribus suis : * gaudentque vehementer (1). * Qui expectant mortem, et non venit, quasi effodientes thesaurum : * gaudentque vehementer cum invenerint sepulchrum. * Ibi impii cessaverunt a tumultu, et ibi requieverunt fessi robore : * et quondam vincti pariter sine molestia, non audierunt vocem exactoris. * Parvus et magnus ibi sunt, et servus liber a Domino suo.

* Non sic impii, non sic (2); * mors peccatorum pessima (3) : * extrema gaudii luctus occupat (4). * Idcirco vociferantur, dicentes (5) : * Siccine separat amara mors (6)? * O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis (7), * viro quieto, et cujus viæ directæ sunt in omnibus, et adhuc valenti accipere cibum! * Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis (8)? Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuncius percurrens.

(1) Job. 3. — (2) Ps. 1. — (3) Ps. 33. — (4) Prov. 14. — (5) Exod. 5. — (6) 1. Reg. 15. — (7) Eccli. 41. — (8) Sap. 5.

II. PUNCTUM.

Secundus intuitus bonæ mortis respectu præsentis temporis. — Morientium impiorum deplorandus et flebilis status. — Justorum morientium placidus et felix status, — etiam in juventute.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur; non sic impii, non sic : mors peccatorum pessima. * Cum irruperit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit (1), * commovebit illos a fundamentis, et usque ad supremum desolabuntur : et erunt gementes, et memoria illorum peribit (2). * Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, et traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum. * Turbabuntur timore horribili, * dicentes intra se : * Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles : viam autem Domini ignoravimus. * Nati continuo desivimus esse : et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere; in malignitate autem nostra consumpti sumus. Mors peccatorum pessima.

* Justorum autem animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis; * visi sunt oculis insipientium mori, et æstimata est afflictio exitus illorum : * illi autem sunt in pace; * et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. * In paucis vexati, in multis bene disponentur : quoniam Deus ten-

(1) Prov. 1. — (2) Sap. 4.

tavit eos, et invenit illos dignos se. * Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum. * Qui confidunt in illo, intelligent veritatem : et fideles in dilectione acquiescent illi : quoniam donum et pax est electis ejus.

* Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. * Consummatus in brevi, explevit tempora multa; * placita enim erat Deo anima illius : propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. Populi autem videntes, et non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia : * quoniam gratia Dei et misericordia est in sanctos ejus, et respectus in electos illius. * Condemnat autem justus mortuus vivos impios, et juventus celerius consummata, longam vitam injusti. * Videbunt enim finem sapientis, et non intelligent, quid cogitaverit de illo Deus, et quare munierit illum Dominus; * videbunt et contemnent eum : illos autem Dominus irridebit. * Et erunt post hæc decidentes sine honore, et in contumelia inter mortuos in perpetuum.

Audivi vocem de cœlo dicentem mihi : * Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo(1). * Veniat pax, requiescat in cubili suo qui ambulavit in directione sua. * Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus (2).

(1) Isai. 57. --- (2) Psal. 40.

III. PUNCTUM.

Tertius intuitus respectu futuri temporis. — Nihil auferunt impii ex hac vita in alteram præter sola sua peccata: — Justorum vero bona opera sequuntur illos post mortem.

* Beati mortui qui in Domino moriuntur; opera enim illorum sequuntur illos. Non sic impii, non sic (1). * Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis (2). * Cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus (3): * cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. Mors peccatorum pessima.

* Vacua est spes illorum, et labores sine fructu, et inutilia opera eorum (4); * et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, et sine honore erit novissima senectus illorum; * et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem; * nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes.

* Beatus dives qui inventus est sine macula: et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris (5): * qui probatus est in illo, et perfectus est: qui potuit transgredi, et non est transgressus: * fecit mirabilia in vita sua. * Ideo stabilita sunt bona illius in Domino, et eleemo-

(1) Apoc. 14. — (2) Psal. 75. — (3) Ps. 48. — (4) Sap. 3. — (5) Eccli. 31.

synas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum. * In requie sua replebitur bonis suis, * et anima illius cum ipso delectabitur : * quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire ad tenebras (1). * Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur; opera enim illorum sequuntur illos. Opera sequuntur : fiducia magna erit coram summo Deo, * cum surrexerit ad judicandum Deus (2). * Tunc respondebunt ei, dicentes : Domine, te vidimus esurientem, et pavimus te : sitientem, et dedimus tibi potum (3) : * hospitem, et collegimus te : nudum, et cooperuimus te : * infirmum aut in carcere, et venimus ad te. * Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam (4); * neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis (5). * Domine, omnia opera nostra operatus es nobis (6). * Servi inutiles sumus; sed nomini tuo da gloriam (7).

Beati mortui, qui in Domino moriuntur. * Cum dederit dilectis suis somnum (8), * ecce hereditas Domini. * Tunc dicet rex his (9) : * Ecce venio cito, et merces mea mecum est reddere unicuique secundum opera sua (10). * Dicite justo quoniam

(1) Tob. 4. — (2) Job. 31. — (3) Matth. 25. — (4) Ps. 113. — (5) Dan. 9. — (6) Ps. 26. — (7) Luc. 17. — (8) Ps. 126. — (9) Matth. 25. — (10) Apoc. 22.

bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet (1). * Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in gaudium Domini tui (2).

II. MEDITATIO.

EXEMPLA BONÆ MORTIS.

I. PUNCTUM.

Repetit hæc exempla anima Christiana ex novissimis sanctorum verbis. — Novissima quorumdam sanctorum verba. — Sancti patriarchæ Jacob morientis in fide salvatoris, — Samsonis mortem sibi inferentis simul et inimicis Dei sui, — Eleazari seni medios inter cruciatus martyrii, — sancti Simeonis habentis inter manus Jesum infantem, — sancti Stephani videntis Jesum et orantis pro inimicis suis, — sancti Pauli intuentis instantem sibi mortem, — sancti Dominici, — sancti Francisci Assisinatis recitantis totum hunc psalmum, — sancti Petri Celestini recitantis hunc psalmum, — sancti Ludovici Galliarum regis, — sancti Burchardi episcopi Herbipolensis, — sanctæ Theresiæ, cujus anima evolavit sub specie columbæ, — sancti Nicolai Tolentinatis videntis Jesum, — sancti Thomæ Aquinatis, — sanctæ Gorgoniæ quæ fuit soror sancti Gregorii Nazianzeni.

Audivi vocem de cœlo dicentem mihi : Beati mortui qui in Domino moriuntur.

(1) Isai. 3. — (2) Matth. 25.

Audivi: * Credidi, propter quod locutus sum (1). * Ego dixi in excessu meo : * Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

* Audivi vocem dicentium (2). * Salutare tuum expectabo, Domine (3).

* Domine Deus memento mei, et redde mihi nunc fortitudinem pristinam Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis (4). * Moriatur anima mea cum Philisthiim.

Domine, * qui habes sanctam scientiam, manifeste tu scis, quia, cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores : secundum animam vero propter timorem tuum libenter hæc patior (5).

* Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace (6); * quia viderunt oculi mei salutare tuum : * quod parasti ante faciem omnium populorum : * lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israël.

* Ecce video cœlos apertos, et filium hominis stantem a dextris Dei (7). * Domine Jesu, suscipe spiritum meum; * Domine, ne statuas illis hoc peccatum.

* Tempus resolutionis meæ instat (8). * Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; * in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex.

(1) Psal. 115. — (2) Apoc. 5. — (3) Gen. 49. — (4) Judic. 16. — (5) II. Mach. 6. — (6) Luc. 2. — (7) Act. 7. — (8) II. Tim. 4.

* Ego ad te venio Pater sancte (1).

* Voce mea ad Dominum deprecatus sum (2); * effundo in conspectu ejus orationem meam, * in deficiendo ex me spiritum meum. * Dixi : Tu es spes mea, portio mea in terra viventium. * Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo : me expectant justi, donec retribuas mihi.

* Omnis spiritus laudet Dominum (3).

* Introibo in domum tuam : adorabo ad templum sanctum tuum (4).

* Quam dilecta tabernacula tua, Domine, virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini (5).

* Cor contritum et humiliatum Deus non despicies (6).

* In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum (7).

* Veni dilecte mi (8).

* In pace in idipsum dormiam, et requiescam: quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me (9).

(1) Joan. 17. — (2) Ps. 141. — (3) Psal. 150. — (4) Psal. 5. — (5) Ps. 83. — (6) Ps. 50. — (7) Ps. 30. — (8) Cant. 7. — (9) Ps. 4, 9 et 10.

II. PUNCTUM.

His exemplis excitat se anima Christiana ad præparandam sibi bonam mortem. — Excitat se æstimatione sortis sanctorum, — et necessitate imitandi illorum vitam.

* Juxta fidem defuncti sunt omnes isti (1), * aspicientes in autorem fidei et consummatorem Jesum. * Laudemus viros gloriosos (2), * homines divites in virtute. * Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus. * Illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt : * et gloria eorum non derelinquetur. * Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem. * Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudes eorum nuntiet Ecclesia.

* Exemplum accipite fratres, exitus mali, laboris et patientiæ. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus (3)? * Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem (4).

* Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia (5). * Confortare igitur, et esto robustus valde : et custodias, et facias omnem legem (6), * ut ambules in via bona et calles justorum custodias (7).

(1) Hebr. 11. — (2) Eccli. 44. — (3) Jacob. 5. — (4) Hebr. 13. — (5) Num. 23. — (6) Josue. 1. — (7) Prov. 2.

TERTIA MEDITATIO.

DESIDERIA BONÆ MORTIS.

I. PUNCTUM.

Desideratur ex tædio vitæ. — Tædium vitæ tot et tantis miseriis immersæ. — Tædium vitæ tot peccatis et peccandi occasionibus obnoxiæ.

* Tædet animam meam vitæ meæ (1) : * melius est mihi mori quam vivere (2). * Militia est vita hominis super terram : et sicut dies mercenarii, dies ejus (3). * Sicut servus desiderat umbram, et sicut mercenarius præstolatur finem operis sui : * sic et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas annumeravi mihi. * Si dormiero, dicam : Quando consurgam ? et rursum expectabo vesperam, et replebor doloribus usque ad tenebras. * Si dixero : Consolabitur me lectulus meus, et revelabor loquens mecum in strato meo : *terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties.

* Quamobrem elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea. * Domine, si sic vivitur, et in talibus vitæ spiritus mei (4) : *melior est mors, quam vita amara : et requies æterna, quam languor perseverans (5) : * et dies mortis, die nati-

(1) Job. 10. — (2) Jon. 4. — (3) Job. 7. — (4) Isai. 38. — (5) Eccli. 30.

vitatis (1). * Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est (2) : * multum incola fuit anima mea.

* Quis det ut veniat petitio mea, et quod expecto tribuat mihi Deus (3)? * Et qui cœpit, ipse me conterat : solvat manum suam, et succidat me? * Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat, nec contradicam sermonibus sancti. * Quare misero data est lux, et vita his qui in amaritudine animæ sunt? * Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum. * Peccatum seduxit me, et occidit. * Fuissem (4), * cum junior essem, priusquam oberrarem (5) : * quando Deus erat in tabernaculo meo (6), * quando erat omnipotens mecum.

Melius est mihi mori, quam vivere; * neque enim melior sum (7). * Torrentes iniquitatis conturbaverunt me (8), * et pericula inferni invenerunt me (9). * Lex Domini immaculata (10), * lex quidem sancta (11), * lex spiritualis est : ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato. * Non enim quod volo bonum, hoc facio : sed quod nolo malum, hoc ago. * Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem : video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. * Infelix ego

(1) Eccle. 7. — (2) Ps. 119. — (3) Job. 6. — (4) Rom. 7. — (5) Eccli. 51. — (6) Job. 29. — (7) III. Reg. 19. — (8) Ps. 17. — (9) Ps. 114. — (10) Ps. 18. — (11) Rom. 7.

homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? * Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.

II. PUNCTUM.

Desideratur mors ex spe æternorum bonorum.

* Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia (1). * Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea (2). * Clamavi ad te, Domine, Dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium (3). *Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo : * Domine, libera animam meam (4). * Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! *Sufficit mihi, Domine : tolle animam meam (5). *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus (6). * Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum : quando veniam et apparebo ante faciem Dei?

Quando? Quando? Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!

* Mihi vivere Christus est, et mori lucrum (7). * Quod si vivere in carne, hic mihi fructus operis est, et quid eligam ignoro. * Coarctor autem e duobus : desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius. Multo magis

(1) Num. 23. — (2) Job. 14. — (3) Ps. 141. — (4) Ps. 119. — (5) III. Reg. 19. — (6) Ps. 41. — (7) Philip. 1.

melius, ' non contemplantibus nobis quæ videntur, sed ea quæ non videntur; quæ enim videntur, temporalia sunt : quæ autem non videntur, æterna sunt (1).

* Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.' Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes : * si tamen vestiti, non nudi inveniamur. * Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati : eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri : ut absorbeatur quod mortale est, a vita. * Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus. * Audentes igitur semper, scientes, quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino: * (per fidem enim ambulamus, et non per speciem.) * Audemus autem, et bonam voluntatem habemus, magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum; * et ideo contendimus, sive absentes, sive præsentes, placere illi.

CONCLUSIO.

Desiderium bonæ mortis temperatur christiana fortitudine et patientia.

Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia. * Utinam periissemus inter fratres nostros coram Domino (2).

(1) II. Cor. 4. — (2) Num. 20.

* Expecta Dominum, viriliter age : et confortetur cor tuum, et sustine Dominum (1). * Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent (2). * Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua : venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. * Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem : qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam (3). * Bonum autem facientes, non deficiamus; tempore enim suo metemus, non deficientes. * Ergo dum tempus habemus, operemur bonum; * sive enim vivimus, Domino vivimus : sive morimur, Domino morimur; sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus (4).

(1) Ps. 26. — (2) Ps. 125. — (3) Gal. 6. — (4) Rom. 14.

IV. MEDITATIO.

PSALMUS DE BONA MORTE.

I. PUNCTUM.

Textus psalmi. — Continentur hoc psalmo quæcumque requiruntur imprimis ad christianam mortem; hæc autem sunt, — præsentia Dei per se ipsum, et per gratiam suam, — crux Christi ante oculos et inter manus moribundi christiani, — sanctissimum viaticum corporis et sanguinis Jesu Christi, — sacramentum extremæ-unctionis, — cœlestis et suavis consolatio in bibendo calice mortis, — certa fiducia in misericordia Dei, — et firma spes æternæ felicitatis.

* Dominus regit me, et nihil mihi deerit (1); * nam et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

* Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum; Et calix meus inebrians quam præclarus est.

* Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.

(1) Ps. 22.

II. PUNCTUM.

Paraphrasis hujus psalmi. — Nihil est timendum justo morienti, cum adsit illi præsens Deus. — Crux Christi est solatium morientis christiani. — Sanctum viaticum animam lætificat, et corroborat adversus omnes ipsius hostes. — Extremæ-unctionis finis. — Christianus patienter vivit, et delectabiliter moritur.—Mirabilis securitas animæ et fiducia in Deo. — Spes et suspiria animæ aspirantis in patriam cœlestem.

Si ambulavero in medio umbræ mortis : * cum venerit interitus, non timebo mala (1).

Non timebo * dolores mortis (2), * torrentes iniquitatis, * tormentum mortis, et quod a nobis est iter (3).

Non timebo, quoniam tu mecum es (4) : * quoniam a dextris es mihi ne commovear. * Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea : insuper et caro mea requiescet in spe.

Non timebo in medio umbræ mortis, quoniam tu mecum es; * quia tu lucerna mea, Domine : et tu, Domine, illuminabis tenebras meas (5). * Consurgam cum sedero in tenebris : Dominus lux mea est (6). * Dominus illuminatio mea et salus mea : quem timebo ? Dominus protector vitæ meæ : a quo trepidabo (7) ?

Non timebo dolores mortis, quoniam tu me-

(1) Prov. 1. — (2) Ps. 17. — (3) Sap. 3. — (4) Ps. 15. — (5) II. Reg. 22. — (6) Mich. 7. — (7) Ps. 26.

cum es, * quoniam tu es patientia mea, Domine (1).

Non timebo tormentum mortis, et quod est a nobis iter : quoniam tu mecum es, * robur meum et Salvator meus, et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ (2).

Non timebo torrentes iniquitatis.

* Cur timebo in die mala (3)? * signasti quasi in sacculo delicta mea : sed curasti iniquitatem meam (4).

Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

Virga et baculus, * crux Christi (5), * principatus super humerum ejus (6), * sceptrum hereditatis ejus (7), * virga regni (8), * baculus gloriosus (9).

Crux Christi. * Ipse est vita tua (10), * et erit vita tua pendens ante te.

* Beati mortui qui in Domino moriuntur (11): * ante quorum oculos Jesus Christus crucifixus est (12). * Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum in terra cui maledixit Dominus (13).

Virga et baculus, Crux Christi, * quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam (14).

Crux Christi, * scutum meum et cornu salutis meæ (15).

(1) Ps. 70. — (2) II. Reg. 22. — (3) Ps. 48. — (4) Job. 14. — (5) I. Cor. 1. — (6) Isai. 9. — (7) Jerem. 51. — (8) Ps. 44. — (9) Jer. 48. — (10) Deut. 30. — (11) Apoc. 14. — (12) Gal. 3. — (13) Gen. 5. — (14) Hebr. 6. — (15) II. Reg. 22.

Crux Christi, * solatium vitæ nostræ (1), * requies morientium (2) : quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra (3).

Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.

* Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus (4), * panem desiderabilem (5), * paratum panem de cœlo, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem (6) : * panem cœli (7), * carnem filii hominis et ejus sanguinem (8) : * panem angelorum (9), * qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo (10) : * ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.

Parasti adversus eos qui tribulant me. * Surge, Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te, a facie tua (11). * Confundantur et revereantur quærentes animam meam. Non timebo, quoniam tu mecum es, adversus eos qui tribulant me (12). * Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum : si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo (13). * Hæc dicit Dominus : Nolite timere ; non est enim vestra pugna, sed Dei (14). * Dominus Deus tuus in medio tui fortis ipse salvabit (15).

(1) Job. 10. — (2) Judic. 20. — (3) II. Cor. 1. — (4) Ps. 67. — (5) Dan. 10. — (6) Sap. 16. — (7) Ps. 77. — (8) Joan. 6. — (9) Ps. 77. — (00) Joan. 6. — (00) Num. 10. — (12) Ps. 34. — (13) Ps. 26. — (14) Paral. 20. — (15) Sophon. 3.

Impinguasti in oleo caput meum. * Hæc est interpretatio (1).

* Fili in tua infirmitate ne despicias te ipsum (2); * sed ora Dominum, et ipse curabit te.

* Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini (3): * et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei.

Et calix meus inebrians, quam præclarus est.

Calix meus, * amara mors; calix meus (4), * quem dedit mihi pater (5), * pater et dominator vitæ meæ. Calix meus (6): * ipse est in quo bibit Dominus meus (7), * dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua (8).

Ipse est in quo bibit Dominus meus. * Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo (9); * gloria magna est sequi Dominum (10), * sive in morte, sive in vita (11). * Beati mortui qui in Domino moriuntur (12): * inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos (13): * quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. Calicem accipiam: * anima autem mea exultabit in Domino, et delectabitur super salutari suo (14); * omnia ossa mea dicent: Quis similis tibi?

(1) Dan. 4. --- (2) Eccli. 38. --- (3) Jacob. 5. --- (4) 1. Reg. 15. --- (5) Joan. 18. --- (6) Eccli. 23. --- (7) Genes. 44. --- (8) Matth. 26. — (9) Ps. 115. — (10) Eccli. 23. — (11) II. Reg. 15. — (12) Apoc. 14. — (13) Ps. 35. — (14) Ps. 34.

Misericordia tua subsequetur me. * Domine, spes a juventute mea (1), * in te confirmatus sum ex utero, de ventre matris meæ tu es protector meus: * ne projicias me in tempore senectutis; cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me. * Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus, et consolatus es me (2). * Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo: quia fortitudo mea et laus mea factus es mihi in salutem. Non timebo: misericordia tua subsequetur me. Non timebo. * Vocabis me, et ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram, et misericordia tua subsequetur me (3). * Si Deus pro nobis, quis contra nos (4)? * Quis accusabit adversus electos Dei? * Deus qui justificat. * Quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

Ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.

* Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum (5): * concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum; gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (6).

* Credo videre bona Domini in terra viventium (7). * Expectabo Deum Salvatorem meum:

(1) Psal. 70. — (2) Isai. 12. — (3) Job. 14. — (4) Rom. 8. — (5) Ps. 83. — (6) Ps. 86. — (7) Ps. 26.

audiet me Deus meus (1). * Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ : ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus (2). * Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram (3)? * Defecit caro mea et cor meum : Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. * Quia ecce qui elongant se a te, peribunt : * mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.

V. MEDITATIO.

PRAXIS RITE ACCIPIENDI VIATICI DISTINCTA PER VARIAS ANIMÆ OCCUPATIONES [a].

I. OCCUPATIO.

Animæ pœnitentis, et mortem libenter excipientis. — Exercitium pœnitentiæ. — Oratio animæ libenter excipientis mortem.

* En ego morior (4); * ego ingredior viam universæ terræ (5). * Benedictus Dominus, prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostro-

(1) Mich. 7. — (2) Ps. 26. — (3) Ps. 72. — (4) Genes. 48. — (5) III. Reg. 2.

[a] Utilissimum erit conformare huic praxi communionem unam singulis mensibus, aut saltem annis.

rum (1) : * Deus noster, Deus salvos faciendi ; et Domini Domini exitus mortis.

* Præoccupemus faciem ejus in confessione (2).

[Supponitur hic peractam esse confessionem.]

* Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam (3). * Deus, propitius esto mihi peccatori (4). * Vide humilitatem meam et laborem meum : et dimitte universa delicta mea (5). * Jesu fili David miserere mei (6) ; * miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum ; miserere mei (7), * quia homo peccator sum, Domine (8).

* Ego credidi quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti (9), * peccatores salvos facere, quorum primus ego sum (10). * Domine, qui amas animas (11), * cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies (12).

* Justus es, Domine, et omnia judicia tua justa sunt, et omnes viæ tuæ misericordia, judicium et veritas (13). * Et nunc, Domine, memor esto mei, et ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum. * Quoniam non obedivimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in mortem. * Et

(1) Ps. 67. — (2) Ps. 94. — (3) Ps. 50. — (4) Luc. 18. — (5) Ps. 24. — (6) Marc. 10. — (7) Ps. 6. — (8) Luc. 5. — (9) Joan. 11. — (10) 1. Tim. 1. — (11) Sap. 11. — (12) Psal. 50. — (13) Tob. 3.

nunc, Domine, magna judicia tua, quia non egimus secundum præcepta tua, et non ambulavimus sinceriter coram te.

℣ Et nunc, Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum, et præcipe in pace recipi spiritum meum; expedit enim mihi mori magis, quam vivere. ℣Præcipe : ℟ exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ, dum oro ad te (1), per Dominum nostrum Jesum Christum (2), ℟ qui mortuus est pro nobis.

Mortuus est : expedit mihi mori magis, quam vivere.

Mortuus est pro nobis : ℣ eamus et nos, ut moriamur cum eo : expedit mihi mori magis, quam vivere (3).

℣ Mori paratus sum (4) : ℟ paratus sum, et non sum turbatus : expedit mihi mori magis quam vivere (5).

II. OCCUPATIO.

Animæ expectantis sacerdotem adventantem cum sanctissimo sacramento.

℣ Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus (6). ℣ Sicut deficit sumus, deficiant : sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei. ℟ Ecce

(1) Ps. 27. — (2) Thess. 5. — (3) Joan. 11. — (4) Act. 21. — (5) Ps. 118. — (6) Ps. 67.

sponsus venit, exite obviam ei (1); * ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi (2). * Gaudeamus, et exultemus, et demus gloriam ei : quia venerunt nuptiæ agni (3). * Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt. * Ecce Deus noster (4) : * ecce Deus Salvator noster (5), * Deus qui pascit me ab adolescentia mea (6).

Exite obviam ei : * iter facite ei qui ascendit (7); * Dominus enim prope est (8).

* Dominus meus et Deus meus (9) : * et tu venis ad me (10) !

* Centurio ait : Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum : sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus : et tu venis ad me !

* Elizabeth exclamavit voce magna, et dixit : Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me ? et tu venis ad me (11) !

* Extimuit David Dominum, dicens : Quomodo ingredietur ad me Arca Domini (12) ? * et noluit divertere ad se Arcam Domini : et tu venis ad me!

* Simon Petrus procidit, dicens : Exi a me, quia homo peccator sum, Domine : et tu venis ad me (13) !

(1) Matth. 25. — (2) Joan. 1. — (3) Apoc. 19. — (4) Isai. 25. — (5) Isai. 12. — (6) Gen. 48. — (7) Ps. 67. — (8) Philip. 4. — (9) Joan. 20. — (10) Matth. 3. — (11) Luc. 1. — (12) II. Reg. 6. — (13) Luc. 5.

III. OCCUPATIO.

Ad ingressum sacerdotis, et ad præsentiam Domini Jesu Christi.

* Veni Domine (1) : * anima mea desideravit te (2); * desiderio desideravi hoc pascha manducare (3).

Veni Domine : * erravi, sicut ovis quæ periit : quære servum tuum, Domine. Veni Domine (4); * non est opus valentibus medicus (5) : * ecce quem amas, infirmatur (6). * Sana me, Domine, et sanabor (7); * Domine, miserere mei : sana animam meam, quia peccavi tibi (8). * Ecce Deus Salvator meus (9) : * Hosanna filio David; * benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in altissimis (10). * Adorate eum omnes Angeli ejus (11). * Saltem vos amici mei (12), * venite adoremus, et procidamus, et ploremus ante Dominum qui fecit nos (13) : * quia ipse est Dominus Deus noster, et nos populus pascuæ ejus, et oves manus ejus. * Dominum Deum meum adoro : quia ipse est Deus vivens (14).

Domine, miserere mei, sana animam meam.

* Domine, non sum dignus ut intres sub tec-

(1) Apoc. 22. — (2) Isai. 26. — (3) Luc. 22. — (4) Ps. 118. — (5) Matth. 9. — (6) Joan. 11. — (7) Jer. 17. — (8) Ps. 40. — (9) Isai. 12. — (10) Matth. 21. — (11) Ps. 96. — (12) Job. 19. — (13) Ps. 94. — (14) Dan. 14.

tum meum : sed tantum dic verbo, et sanabitur (1).

Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum : sed tantum dic verbo et sanabitur.

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum : sed tantum dic verbo, et sanabitur.

[Ad hæc verba sacerdotis : Accipe, frater, viaticum.]

* Surge, comede; grandis enim tibi restat via (2). * Prosperum iter faciet nobis Deus (3).

IV. OCCUPATIO.

Animæ colloquentis cum Jesu post acceptum viaticum.

En ego morior, * ut Deo vivam : Christo confixus sum cruci (4). * Vivo autem jam non ego : vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.

* Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, et qui eras, et qui venturus es (5).

* Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem (6), * loquere, Domine, quia audit servus tuus (7) : *dic animæ meæ : Salus tua ego sum (8). * Confundantur et revereantur quærentes animam meam.

(1) Matth. 8. — (2) III. Reg. 19. — (3) Ps. 67. — (4) Gal. 2. — (5) Apoc. 11. — (6) Sap. 16. — (7) I. Reg. 3. — (8) Ps. 34.

Dic animæ meæ : * Confide remittuntur tibi peccata tua (1).

Dic animæ meæ : * Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor (2).

* Dicam Deo : Noli me condemnare (3). * Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Dic animæ meæ (4) : * Neque ego te condemnabo (5).

Dic animæ meæ : * Hodie salus domui huic facta est (6) : * et miserere mei secundum judicium diligentium nomen tuum (7).

Dic animæ meæ : * Hodie mecum eris in paradiso (8).

Vivit in me Christus. * Tenui eum, nec dimittam (9); * non dimittam te, nisi benedixeris mihi (10). * Tu autem in nobis es, Domine, et nomen sanctum tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos (11); * mane nobiscum quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies. Mane nobiscum (12), * ne unquam obdormiam in morte : * nequando dicat inimicus meus : Prævalui adversus eum. Mane nobiscum (13), * nequando rapiat, et non sit qui eripiat (14). * Dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum et ipsum

(1) Matth. 9. — (2) Isai. 43. — (3) Job. 10. — (4) Ps. 142. — (5) Joan. 8. — (6) Luc. 19. — (7) Ps. 118. — (8) Luc. 23. — (9) Cant. 3. — (10) Genes. 32. — (11) Jerem. 14. — (12) Luc. 24. — (13) Ps. 12. — (14) Ps. 49.

non est mecum (1); * amici mei et proximi mei, et qui juxta me erant, de longe steterunt. * Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris a me : * intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ. Mane nobiscum ; * ecce nunc in pulvere dormiam : et si mane me quæsieris, non subsistam (2).

CONCLUSIO MEDITATIONIS.

Canticum christiani moribundi post acceptum viaticum.

* Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace (3) : * quia viderunt oculi mei salutare tuum ; * quod parasti ante faciem omnium populorum ; * lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israël.

Nunc dimittis servum tuum, Domine ; * jam lætus moriar (4). * Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : * in domum Domini ibimus (5). * Respice in faciem Christi tui (6). * Memento, Domine, omnis mansuetudinis ejus (7), * qui pro transgressoribus rogavit (8) : * et dimitte universa delicta mea (9), * et dona mihi animam meam pro qua rogo (10).

* Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei (11) * per fidem quæ est in

(1) Ps. 37. --- (2) Job. 7. --- (3) Luc. 2. --- (4) Genes. 46. --- (5) Ps. 121. --- (6) Ps. 83. --- (7) Ps. 131. --- (8) Isai. 53. — (9) Ps. 24. — (10) Esth. 7. — (11) Act. 7.

me. Jam lætus moriar; * in domum Domini ibimus. Lætus moriar (1); * Dominus est susceptor animæ meæ (2).

Video Jesum. * Amen veni Domine Jesu (3); * Domine, suscipe spiritum meum (4).

* Credidi, suscipe spiritum meum (5).

* Dilexi, suscipe spiritum meum (6).

* Speravi, suscipe spiritum meum (7).

Veni Domine Jesu; * in manibus tuis sortes meæ (8); * in manus tuas commendo spiritum meum : redemisti me Domine Deus veritatis. Commendo spiritum meum. * In te, Domine, speravi, non confundar in æternum (9).

Commendo spiritum meum, * in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (10); In nomine Patris, * qui dedit illum (11); In nomine Filii, qui mortuus est pro nobis (12).

In nomine Spiritus sancti, * qui datus est nobis (13).

* In pace in idipsum dormiam et requiescam (14).

Veni Domine Jesu. Jesu, Jesu, Jesu.

* Velociter exaudi me, Domine : deficit spiritus meus; suscipe spiritum meum (15).

(1) Ps. 121. — (2) Ps. 53. — (3) Apoc. 22. (4) Act. 7. — (5) Ps. 115. — (6) Ps. 114. — (7) Ps. 70. — (8) Ps. 30. — (9) Ps. 21. — (10) Matth. 28. — (11) Eccle. 12. — (12) 1. Thess. 5. — (13) Rom 5. — (14) Ps. 4. — (15) Ps. 142.

QUATUOR

MEDITATIONES

DE RESURRECTIONE JESU CHRISTI.

PRIMA MEDITATIO.

EXERCITIUM FIDEI ET SPEI PER COLLOQUIUM JESU ET HOMINIS.

PRIMUM PUNCTUM.

Exercitium fidei. — Jesus redivivus exhibet homini vulnera sua : — et agnoscitur ab illo. — Jesus scrutatur fidem hominis. — Homo profitetur illam, — ejusque testimonium accipit a Jesu : — cujus resurrectionem celebrat cantico laudis.

Jesus. * Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum : et noli esse incredulus, sed fidelis (1).

Homo. * Dominus meus, et Deus meus.

Jesus. * Beati qui non viderunt, et crediderunt. * Ego dormivi et soporatus sum, et exurrexi (2). * Æstimatus sum cum descendentibus in lacum :

(1) Joan 20. — (2) Ps. 3.

factus sum sicut homo sine adjutorio (1), * inter mortuos liber. * Exurrexi et adhuc tecum sum (2): * credis hoc (3) ?

Homo. * Utique Domine, ego credidi; quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti; * scio enim quod Redemptor meus vivit (4). * Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram (5); * tanquam ovis ad occisionem ductus est : et sicut agnus coram tondente se (6). * Accubans dormivit ut leo (7), vicit leo de tribu Juda (8) : * et expolians principatus et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso (9).

Utique Domine ego credidi.

Jesus. * Beatus es : quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est (10).

* Tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam : beatus es (11).

Homo. * A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris (12); * hoc factum est et tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo (13). * Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea (14). * O Domine salvum me fac, o Domine bene prosperare : * benedictus qui venit in nomine Domini; * Deus Dominus, et illuxit nobis.

(1) Ps. 87. — (2) Ps. 138. — (3) Joan. 11. — (4) Job. 19. — (5) Rom. 4. — (6) Act. 8. — (7) Numer. 24. — (8) Apoc. 5. — (9) Coloss. 2. — (10) Matth. 16. — (11) Ps. 138. — (12) Ps. 117. — (13) II. Maccab. 1. — (14) Ps. 117.

* Benedic anima mea Domino : Domine Deus meus magnificatus es vehementer. Confessionem et decorem induisti (1) * amictus lumine sicut vestimento. * Ponis nubem ascensum tuum ; ambulas super pennas ventorum, * sicut fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem (2). * Absorpta est mors in victoria (3). * Christus resurgens ex mortuis jam non moritur : mors illi ultra non dominabitur (4).

* Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. Agnus, qui occisus est, vicit leo (5).

* Ubi est mors victoria tua ? Vicit leo de tribu Juda (6) : * ante faciem ejus ibit mors (7) : * præcipitabit mortem in sempiternum (8). Vicit leo de tribu Juda : * egredietur diabolus ante pedes ejus (9). Vicit leo de tribu Juda : * qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui habitant in sepulchris (10).

Vicit leo de tribu Juda. * Rugiet, quis non timebit (11) ? * malos male perdet (12). * Paveant illi, et non paveam ego ; paveant illi (13) * qui dixerunt Deo : Recede a nobis (14) ; * nolumus hunc regnare super nos. Non paveam ego ; scio enim quod Redemptor meus vivit (15).

(1) Ps. 103. — (2) Matth. 24. — (3) 1. Cor. 15. — (4) Rom. 6. — (5) Apoc. 5. — (6) 1. Cor. 15. — (7) Habac. 3. — (8) Isai. 25. — (9) Habac. 3. — (10) Ps. 67. — (11) Amos. 3. — (12) Matth. 21. — (13) Jer. 17. — (14) Job. 21. — (15) Luc. 19.

II. PUNCTUM.

Exercitium spei. — Spei objectum, — actus, — præmium, — fiducia et gaudium.

Jesus. * Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet (1): * et omnis, qui vivit et credit in me non morietur in æternum. * Venit hora in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei: * et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ. Ego sum resurrectio et vita: * in me omnis spes vitæ (2); * qui audit me non confundetur.

Homo. * Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? quis mihi det ut exarentur in libro (3) * stylo ferreo, et plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice. * Scio enim quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum: * et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum, * quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius; reposita est hæc spes mea in sinu meo.

* Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium (4): * quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. * Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in

(1) Joan. 11. — (2) Eccli. 24. — (3) Job. 19. — (4) 1. Cor. 15.

Christo omnes vivificabuntur; reposita est hæc spes mea in sinu meo.

* Surget corpus : * seminatur in corruptione, surget in incorruptione; * seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; * seminatur corpus animale, surget corpus spiritale; reposita est hæc spes mea in sinu meo : et in carne mea videbo Deum meum. * Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me : et resuscita me in resurrectionem vitæ (1).

Jesus. * Miserebor (2), * resuscitabo : et resuscitabo in resurrectionem vitæ (3). * Quapropter expecta me in die resurrectionis meæ in futurum (4) : * in die illa non confunderis. * Expecta Dominum viriliter age : et confortetur cor tuum, et sustine Dominum (5). * Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei (6) : * qui vicerit non lædetur a morte secunda; * vincenti dabo manna absconditum : * vestietur vestimentis albis; * qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo : sicut et ego vici, et sedi cum patre meo in throno ejus.

Homo. * Expecto donec veniat immutatio mea (7); * vocabis me et ego respondebo tibi : operi manuum tuarum porriges dexteram. * Expectabo Deum Salvatorem meum (8), * consurgam cum sedero in tenebris : Dominus lux mea

(1) Ps. 40. — (2) Exod. 33. — (3) Joan. 6. — (4) Sophon. 3. — (5) Ps. 26. — (6) Apoc. 2. — (7) Job. 14. — (8) Mich. 7.

est; expectabo Deum Salvatorem meum, * qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ; reposita est hæc spes mea in sinu meo (1).

* Credo videre bona Domini in terra viventium (2).

* Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : In domum Domini ibimus (3).

Lætatus sum : * cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum (4).

CONCLUSIO MEDITATIONIS.

Homo spei plenus excitat seipsum, et alium quemlibet secum ad patientiam christianam.

* Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus (5); * sed Rex mundi nos in æternæ vitæ resurrectione suscitabit (6). Non sic impii, non sic (7) : * quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt : neque corruptio incorruptelam possidebit (8). * Ecce mysterium : omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur; * ideo non resurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum (9).

* Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote et

(1) Philip. 3. — (2) Ps. 26. — (3) Ps. 121. — (4) Ps. 83. — (5) 1. Cor. 15. — (6) II. Maccab. 7. — (7) Ps. 1. — (8) 1. Cor. 15. — (9) Ps. 1.

immobiles, abundantes in opere Domini, scientes quod labor vester non est inanis in Domino (1).

* Nescitis quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis (2). * Ommis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet : et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.

* Ego igitur sic curro, non quasi in incertum : sic pugno, non quasi aerem verberans : * sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo; scio enim quod Redemptor meus vivit, et in carne mea videbo Deum meum. * In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex : non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus; reposita est hæc spes mea in sinu meo (3).

* Habentes itaque fiduciam in sanguine Christi (4), * teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem (fidelis enim est qui repromisit) * et consideremus invicem in provocationem charitatis et bonorum operum.

* Oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam (5) : * et per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei (6). * Cum apparuerit, similes ei erimus (7) : * si tamen compatimur, ut et conglorificemur (8); * et omnis qui

(1) 1. Cor. 15. — (2) 1. Cor. 9. — (3) II. Timot. 4. — (4) Hebr. 10. — (5) Luc. 24. — (6) Act. 14. — (7) 1. Joan. 3. — (8) Rom. 8.

habet hanc spem in eo, sanctificat se sicut et ille sanctus est (1).

Scio quod redemptor meus vivit : reposita est hæc spes mea in sinu meo; * hæc me consolata est in humilitate mea (2), * in infirmitatibus meis (3), * in passionibus (4).

II. MEDITATIO.

DE RESURRECTIONE HOMINIS AD VITAM SPIRITUALEM.

I. PUNCTUM.

Excellentia resurrectionis spiritualis. — Jesu Christi resurrectio est causa efficiens et exemplaris resurrectionis spiritualis.

* Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis (5), * ad cognoscendum illum per virtutem resurrectionis ejus. * Resurrexit propter justificationem nostram (6); * surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus (7).

* Hæc est resurrectio prima (8) : * non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ inter-

(1) 1. Joan. 3. — (2) Ps. 118. — (3) II. Cor. 12. — (4) Coloss. 1. — (5) II. Timot. 2. — (6) Philip. 3. — (7) Rom. 4. — (8) Ephes. 5.

rogatio in Deum, per resurrectionem Jesu Christi (1), * qui est in dextera Dei deglutiens mortem: ut vitæ æternæ hæredes efficeremur.

* Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima (2). * Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos (3), * cum essemus mortui peccatis convivificavit nos in Christo, (cujus gratia estis salvati): * et conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu; * ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu. * Ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus (4); * si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus: simul et resurrectionis erimus.

* Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cœlo, cœlestis (5). * Qualis terrenus, tales et terreni: et qualis cœlestis, tales et cœlestes. * Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis: * donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi (6), * ut crescamus in illo per omnia, qui est caput: * donec formetur Christus (7). Hæc est resurrectio prima.

(1) 1. Petr. 3. — (2) Apoc. 20. — (3) Ephes. 2. — (4) Rom. 6. — (5) 1. Cor. 15. — (6) Ephes. 4. — (7) Galat. 4.

CONCLUSIO PRIMI PUNCTI.

Oratio ad postulandam gratiam spiritualis resurrectionis.

℣ De profundis clamavi ad te Domine (1): ℟ Domine exaudi vocem meam. ℣ Peccavi (2): ℟ oblivioni datus sum tanquam mortuus : factus sum tanquam vas perditum (3); ℟ tu autem Domine, miserere mei, et resuscita me (4). ℣ Retribue servo tuo, vivifica me, et custodiam sermones tuos (5).

℟ Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.

℣ Fac me audire vocem tuam : vocem tuam (6). ℟ Ephipheta (7); ℣ lætabor ego super eloquia tua (8).

℣ Domine jube me ad te venire (9) : ℟ in via tua vivifica me (10); ℣ surgam et ibo ad patrem meum (11).

℟ Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo (12).

℣ Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam (13).

℟ Domine Deus memento mei, et redde mihi nunc fortitudinem pristinam Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis (14).

(1) Ps. 129. — (2) Ps. 50. — (3) Ps. 30. — (4) Ps. 40. — (5) Ps. 118. — (6) Cant. 8. — (7) Marc. 7. — (8) Ps. 118. — (9) Matth. 14. — (10) Ps. 118. — (11) Luc. 15. — (12) Ps. 118. — (13) Ps. 50. — (14) Judic. 16.

* Restitue animam meam a malignitate eorum (1).

* Redde mihi lætitiam salutaris tui (2).

Domine, miserere mei, et resuscita me; fac me audire vocem tuam : * Lazare veni foras; vocem tuam (3) : * Adolescens, tibi dico : Surge (4).

Domine, miserere mei, et resuscita me; * concupivit anima mea desiderare justificationes tuas (5).

Resuscita me; * veniant mihi miserationes tuæ, et vivam; * non moriar, sed vivam : et narrabo opera Domini (6).

II. PUNCTUM.

Leges resurrectionis spiritualis. — Prima lex. — Morere peccato, et tibimetipsi. — Secunda lex. — Mortuus peccato vive Deo. — Tertia lex. — Quære, ac sape bona spiritualia et cœlestia.

* Hæc est religio Phase (7), * id est transitus.

Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima. * Mors necesse est intercedat (8); * Christum oportuit pati, et resurgere a mortuis (9); * eamus et nos, ut moriamur cum eo (10), ut vivamus per eum (11).

* Si mortui sumus cum Christo : credimus quia

(1) Ps. 34. — (2) Ps. 50. — (3) Joan. 11. — (4) Luc. 7. — (5) Ps. 118. — (6) Ps. 117. — (7) Exod. 12. — (8) Hebr. 9. — (9) Act. 17. — (10) Joan. 11. — (11) 1. Joan. 4.

simul etiam vivemus cum Christo (1). * Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, avaritiam (2), *iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem : * expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis : * hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati (3) : * ita ut serviamus in novitate spiritus. Si mortui sumus cum Christo, simul etiam vivemus cum Christo.

* Ultra non serviamus peccato; * qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. * Credimus, * scientes quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur : mors illi ultra non dominabitur : * quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel : quod autem vivit, vivit Deo.

* Ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro. * Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus : * sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato : sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo; * peccatum enim vobis non dominabitur. * Pro omnibus mortuus est Christus; ut, et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit (4).

(1) Rom. 6. — (2) Coloss. 3. — (3) Rom. 6. — (4) II. Cor. 5.

* Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens (1); * quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram. * Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. * Cum Christus apparuerit, vita vestra : tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.

Mortui estis ; * si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi : quid adhuc tanquam viventes in mundo decernitis ?

Mortui estis : sapite, non quæ super terram; * ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis quæ sunt omnia in interitum ipso usu.

Consurrexistis cum Christo : * Christum induistis (2) * novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis (3). * Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam (4) : * super omnia autem hæc, charitatem, quod est vinculum perfectionis. * Pax Christi exultet in cordibus vestris : * verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia.

Consurrexistis cum Christo : quæ sursum sunt, sapite : * quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate (5).

(1) Coloss. 3. — (2) Galat. 3. — (3) Ephes. 4. — (4) Coloss. 3. — (5) Philip. 4.

Consurrexistis cum Christo : quæ sursum sunt, quærite ; * nostra conversatio in cœlis est.

Quæ sursum sunt, quærite: ubi Christus est vita vestra.

Quæ sursum sunt, quærite : ubi Christus est: * infinitus enim thesaurus est hominibus (1); * ubi thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit (2).

Quæ sursum sunt, quærite : ubi Christus est, * qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis (3).

Quæ sursum sunt, quærite ; * unde Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum (4), qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.

CONCLUSIO II. PUNCTI.

Gratulabunda gratiarum actio pro hac resurrectione spirituali.

* Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem (5). * Quid quæritis viventem cum mortuis ? Surrexit (6).

* Vivo, jam non ego : vivit vero in me Christus (7).

Vivo : * Mihi enim vivere Christus est (8).

(1) Sap. 7. — (2) Luc. 12. — (3) Rom. 8. — (4) Philip. 3. — (5) Ps. 6. — (6) Luc. 24. — (7) Galat. — (8) Philip. 1.

Vivo * ad cognoscendum illum et virtutem resurrectionis ejus, configuratus morti ejus : si quo modo occurram ad resurrectionem.

Vivo, jam non ego. Hæc est resurrectio prima : * hæc mutatio dexteræ Excelsi (1) : * hæc est dies quam fecit Dominus (2). * Propter hoc lætatum est cor meum et exultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe (3) : * quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. * Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo : delectationes in dextera tua usque in finem.

* Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi (4) : * quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.

* Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum (5); * Deo autem gratias qui semper triumphat nos in Christo Jesu (6).

(1) Ps. 76. — (2) Ps. 117. — (3) Ps. 15. — (4) Ps. 114. — (5) I. Cor. 15. — (6) II. Cor. 2.

TERTIA MEDITATIO.

COLLOQUIUM ANIMÆ FIDELIS CUM JESU, DE SACRIS EJUS PLAGIS.

Peccata nostra fuerunt causa plagarum Christi : — earum vero effectus debet esse noster erga illum amor. — Sola anima, quæ diligit Jesum, intenta est ejus plagis. — Suavis occupatio animæ in adorandis plagis sive manuum ejus, — sive pedum. — Felix est anima quæ perfugit et se recipit in plagas Christi, — præcipue vero in plagam divini lateris.

Jesus. * Pax vobis : ego sum, nolite timere (1).

Anima. * Dominus est (2). * Redemptor vitæ meæ (3), * quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum (4)?

Jesus. * His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me : * foderunt manus meas et pedes meos (5); * et aspicient ad me quem confixerunt, et dolebunt, ut doleri solet in morte primogeniti (6).

Anima. Dominus est : * ipse vulneratus propter iniquitates nostras (7). * Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum? et plorabo die ac nocte (8). * Ego interfeci Christum

(1) Luc. 24. — (2) Joan. 21. — (3) Thr. 3. — (4) Zach. 13. — (5) Ps. 21. — (6) Zach. 12. — (7) Isai. 53. — (8) Jer. 9.

Domini : Christum Domini (1), * qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me (2).

Jesus. * Tu dixisti (3) : * Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum (4) : * quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt. * Iterum : Pax vobis (5).

Anima. * Dilecte mi (6), * vulnus pro vulnere (7). * Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi (8) : * amore langueo (9). * Quis mihi tribuat ut ego moriar pro te (10) ?

Jesus. * Diligis me plus his (11) ?

Anima. * Etiam Domine, tu scis quia amo te.

Jesus. Diligis me ?

Anima. * Etiam Domine, tu scis quia amo te.

Jesus. * Amas me ?

Anima. * Domine, tu omnia nosti : tu scis quia amo te. * Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea (12) ; * quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.

Jesus. * Lauda et lætare, filia Sion : quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui (13).

* Quis iste est, qui applicet cor suum ut appropinquet mihi (14) ? * Videte manus meas et pedes (15), * stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ (16). * Nonne

(1) II. Reg. 1. — (2) Gal. 2. — (3) Matth. 26. — (4) Cant. 4. — (5) Ps. 68. — (6) Joan. 20. — (7) Cant. 1. — (8) Exod. 21. — (9) Ps. 37. — (10) Cant. 2. — (11) II. Reg. 18. — (12) Joan. 21. — (13) Ps. 26. — (14) Zach. 2. — (15) Jer. 30. — (16) Luc. 24.

hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?

Quis est iste, qui applicet cor suum ut appropinquet mihi?

* Una est columba mea, perfecta mea (1).

Anima. * Ecce, tu pulcher es, dilecte mi, et decorus: * Dilectus meus candidus et rubicundus. * Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis (2).

* Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis (3). * Dedit dona hominibus (4): * venerunt autem mihi omnia bona pariter, et innumerabilis honestas per manus illius (5).

* In manibus abscondit lucem (6). * Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum (7).

* Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus (8). * Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. * Libera me, Domine, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me (9).

* In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me, Domine, Deus veritatis (10); * in manibus tuis sortes meæ.

Jesus. * Ego non obliviscar tui (11); * ecce in manibus meis descripsi te.

Anima. * Quam pulchri sunt gressus tui (12)! *

(1) Cant. 6. — (2) Joan. 1. — (3) Cant. 5. — (4) Ephes. 4. — (5) Sap. 7. — (6) Job. 36. — (7) Ps. 122. — (8) Cant. 7. — (9) Job. 17. — (10) Ps. 30. — (11) Isai. 49. — (12) Cant. 7.

Quam pulchri pedes annuntiantis et prædicantis pacem (1)? * Venit enim filius hominis quærere et salvum facere quod perierat (2). * Exultavit ut gigas ad currendam viam (3); * ante faciem ejus ibit mors, et egredietur diabolus ante pedes ejus (4).

Quam pulchri sunt gressus tui! * Qui humiliaverunt te, adorabunt vestigia pedum tuorum (5). * Adorate omnes angeli ejus: * adorabimus (6).

* Dilecte mi (7), * osculer, oro (8). * Tenui, nec dimittam (9).

Jesus. * Soror mea sponsa * non cessavit osculari pedes meos (10); * remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Anima. * Inveni gratiam apud oculos tuos, Domine mi, qui consolatus es me, et locutus es ad cor ancillæ tuæ (11).

Jesus. * Surge, propera, amica mea (12); * infer digitum tuum huc, et vide manus meas: et affer manum tuam, et mitte in latus meum (13). * Surge, amica mea (14): * columba mea in foraminibus petræ.

Anima. * Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam (15) * quasi columba nidificans in summo ore foraminis (16)? * In-

(1) Isai. 52. — (2) Luc. 19. — (3) Ps. 18. — (4) Hab. 3. — (5) Isai. 60. — (6) Ps. 131. — (7) Prov. 31. — (8) III. Reg. 19. — (9) Cant. 3. — (10) Luc. 7. — (11) Ruth. 2. — (12) Cant. 2. — (13) Joan. 20. — (14) Cant. 2. — (15) Ps. 54. — (16) Jer. 48.

troduxit me Rex in cellaria sua : exultabimus, et lætabimur in te (1).

* Notas mihi fecisti vias vitæ (2); * Præceptor, bonum est nos hic esse (3).

Jesus. * Præbe cor tuum mihi (4), * et abscondе ibi illud in foramine petræ (5). * Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo : quasi in thalamo tota die morabitur (6).

Anima. * Dilectus meus mihi, et ego illi (7); * nunc mihi aperuit cor suum (8). * Hæc requies mea in sæculum sæculi : hic habitabo quoniam elegi; hic habitabo (9), * ubi est vita (10) : * ubi thesaurus (11), * ubi spiritus Domini (12).

Hic habitabo : * fiducialiter agam (13), * et non timebit cor meum (14).

Hic habitabo : * non timebo quid faciat mihi caro (15).

Hic habitabo : * et ego despiciam inimicos meos.

Hic habitabo : * non timebo quid faciat mihi homo (16).

Hic habitabo : * quam bonum, et quam jucundum habitare!

Hic habitabo : * Quis separabit a charitate Christi (17)?

(1) Cant. 1. — (2) Ps. 15. — (3) Luc. 9. — (4) Prov. 23. — (5) Jer. 13. — (6) Deut. 33. — (7) Cant. 2. — (8) Judic. 16. — (9) Ps. 131. — (10) Eccle. 6. — (11) Luc. 12. — (12) II. Cor. 3. — (13) Ps. 11. — (14) Ps. 26. — (15) Ps. 55. — (16) Ps. 117. — (17) Rom. 8.

Hic habitabo ; * meditabor ut columba (1), * quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas et profundum (2) : * et in meditatione mea exardescet ignis (3).

Hæc requies mea in sæculum sæculi : hic habitabo, quoniam elegi.

(1) Isai. 38. — (2) Ephes. 3. — (3) Ps. 38.

IV. MEDITATIO.

DE CHRISTI RESURRECTIONE.

Colloquium istud, quod instar est Cantici Canticorum, complectitur perfectum ductum animæ ad Deum per viam amoris : anima vero hic repræsentatur sub persona divæ Magdalenæ.

EXERCITIUM AMORIS PER COLLOQUIUM SANCTÆ MARIÆ MAGDALENÆ CUM ALIIS MULIERIBUS, QUIBUSDAM ANGELIS ET IPSO JESU, QUEM QUÆSIVIT AD SEPULCHRUM EJUS, IN HORTO.

Pœnitentia et mortificatio, quarum myrrha est symbolum, disponunt animam ad amorem Jesu Christi. — Rationes præcipuæ hujus amoris sunt. — Infinita dignitas ejus adorandæ personæ, — illius erga nos amor, — beneficia, --- et mors. — Desiderium moriendi pro Jesu. --- Quisquis eum quærit, nihil reformidare debet. --- Dolor ex ejus absentia, et desiderium ejus præsentiæ. — Qui quærit illum in mundo, frustra quærit. --- Ne fatigeris diuturno sive dolore ex ejus absentia, sive desiderio ejus præsentiæ. --- Quære Jesum toto vitæ tempore inter vicissitudines gaudii et mœroris, donec magna dies æternitatis aspiret. --- Frustra revocat ad se mundus animam, quæ Jesum quærit ex sincero amore. — Quam pretiosum est donum lacrymarum quæ fluunt ex amore divino! — Quam felix foret qui moreretur ex hoc amore! --- Qui Jesum amat, nihil lacrymat, nisi ejus absentiam. — Audacia amoris ad quidlibet arduum suscipiendum. --- Suavia momenta præsentiæ Jesu. — Certa illius et stabilis possessio reservatur cœlo : — et docemur ejusdem exemplo tantum gaudium fructum esse patientiæ. --- Vitæ

activæ fervor et contemplativæ suavitas. — Jesus est cordis magnes. — Varii effectus amoris divini in anima ad præsentiam Jesu Christi, --- admiratio. — satietas, --- lætitia, --- perfecta unitas, --- animæ languor, --- defectio, --- deliquium, --- ardor loquendi de dilecto Jesu, --- impotentia ad loquendum, --- animæ liquefactæ effusio, --- quies et ejus dulcedinis gustus, --- et somnus animæ.

Maria. * Subversum est cor meum in memetipsa, amaritudine plena sum (1) : * defecerunt præ lacrymis oculi mei : * fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi (2). * Surgam et quæram quem diligit anima mea : * vadam ad montem myrrhæ. * Adjuro vos, filiæ Jerusalem, * venite, ascendamus ad montem Domini (3). * Manus meæ stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima. Surgam et quæram quem diligit anima mea (4).

Aliæ mulieres, *quæ comitantur sanctam Magdalenam ad sepulchrum Jesu.* * Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum ? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos ?

Maria. * Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus, * speciosus forma præ filiis hominum (5), * in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (6), * potens in opere et sermone (7); * labia ejus lilia (8) : * nun-

(1) Thr. 1. --- (2) Cant. 1. --- (3) Mich. 4. --- (4) Cant. 5. --- (5) Ps. 44. --- (6) Col. 2. — (7) Luc. 24. — (8) Cant. 5.

quam sic locutus est homo, sicut hic homo (1), * totus desiderabilis. Talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem (2). * Venite, audite, et narrabo quanta fecit animæ meæ (3). * Quid dignum poterit esse beneficiis ejus (4)?

ALIÆ MULIERES. * Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quo declinavit dilectus tuus? et quæremus eum tecum (5).

MARIA. * Humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis (6); * dilexit me, et tradidit semetipsum pro me (7); * periit finis meus et spes mea (8); * deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento (9). * Lapsa est in lacum vita mea (10); * idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas; quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam. Surgam et quæram quem diligit anima mea.

ALIÆ MULIERES. * Venimus et nos tecum, et quæremus eum tecum (11).

MARIA CUM ALIIS MULIERIBUS. * Eamus, ut moriamur cum eo. * Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti (12)?

ANGELUS *sedens super lapidem, quem revolverat ab ostio monumenti.* * Nolite timere; scio enim quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis (13). *

(1) Joan. 7. — (2) Cant. 5. — (3) Ps. 65. — (4) Tob. 12. — (5) Cant. 5. — (6) Philip. 2. — (7) Gal. 2. — (8) Thr. 3. — (9) Act. 13. — (10) Thr. 3. — (11) Joan. 21. — (12) Marc. 16. — (13) Matth. 28.

Non est hic : surrexit enim, sicut dixit ; venite, et videte locum, ubi positus erat Dominus : * et cito euntes dicite discipulis ejus, quia surrexit.

Maria. * Quæsivi quem diligit anima mea : quæsivi illum, et non inveni (1). * Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo.

Duo angeli, *qui apparuerunt in veste fulgenti.* * Quid quæritis viventem cum mortuis (2)? * Non est hic, sed surrexit.

Maria, *cum aliis mulieribus mente consternatis et currentibus ad Apostolos.* * Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum (3). * Descendi in hortum (4), * quæsivi, et non inveni : vocavi, et non respondit mihi. * Invenerunt me custodes (5) : * audierunt, quia ingemisco ego, et non est qui consoletur me. Surgam et quæram quem diligit anima mea.

Aliæ mulieres, *quas invaserat pavor et tremor.* * Quam terribilis est locus iste (6)! * Fugiamus (7).

Maria *sola, rediens ad sepulchrum Jesu.* * Vadam et revertar : quæram quem diligit anima mea (8), * donec aspiret dies, et inclinentur umbræ (9).

Mulieres *revocantes ad se Mariam.* * Rever-

(1) Cant. 3. — (2) Luc. 24. — (3) Joan. 20. — (4) Cant. 6. — (5) Thr. 1. — (6) Gen. 28. — (7) II. Reg. 15. — (8) Exod. 4. — (9) Cant. 4.

tere, revertere, revertere, revertere, ut intueamur te.

Maria *sola rediens ad hortum, et plorans ad ostium monumenti.* Quæram quem diligit anima mea. * Veniat dilectus meus in hortum suum; * quis mihi det, ut inveniam te? * Deducant oculi mei lacrymam per noctem et diem (1); * uno tantum (ut ita dicam) gradu ego morsque dividimur (2). * Fortis est ut mors dilectio (3); *amore langueo (4); * hic moriar. Fortis est ut mors dilectio; hic moriar. * Diligam te, Domine (5); * plorabo; hic moriar (6).

Duo angeli. * Mulier, quid ploras (7)?

Maria. * Quia tulerunt Dominum meum: et nescio ubi posuerunt eum. * Num quem diligit anima mea, vidistis (8)?

Jesus *apparens Mariæ, nec agnitus ab illa.* * Mulier, quid ploras? Quem quæris (9)?

Maria *habens Jesum pro hortulano.* * Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum: et ego eum tollam; * indica mihi quem diligit anima mea (10).

Jesus. * Maria (11).....

Maria *agnoscens Jesum, et procidens ad ejus pedes.* * Vox dilecti mei (12); * en ipse stat: * en dilectus meus loquitur mihi.

(1) Jer. 14. — (2) I. Reg. 20. — (3) Cant. 8. — (4) III. Reg. 2. — (5) Ps. 17. — (6) Isai. 16. — (7) Joan. 20. — (8) Cant. 3. — (9) Joan. 20. — (10) Cant. 1. — (11) Joan. 20. — (12) Cant. 2.

* Magister (1)! * Inveni quem diligit anima mea (2).

* Magister! Inveni : * tenui eum, nec dimittam. Magister!

Jesus. * Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum : vade autem ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum (3). * Surge, propera amica mea (4); * jam hiems transiit : * flores apparuerunt in terra nostra; * oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam. Surge, propera amica mea (5).

Maria. * Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo : et requiescam (6)? * Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum : exultabimus et delectabimur in te. Recti diligunt te (7); * ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ (8).

Jesus. Surge, propera amica mea; * eant in Galilæam, ibi me videbunt (9).

Maria *abiens sola, et statim occurrens aliis mulieribus.* * Vidi Dominum, vidi Dominum, vidi Dominum (10).

Vidi Dominum : * sufficit mihi (11).

* Filiæ Jerusalem (12), * congratulamini mihi; inveni quem diligit anima mea : vidi Dominum (13).

(1) Joan. 20. — (2) Cant. 3. — (3) Joan. 20. — (4) Cant. 2. — (5) Luc. 24. — (6) Ps. 54. — (7) Cant. 1. — (8) Luc. 17. — (9) Matth. 28. — (10) Joan. 20. — (11) Gen. 45. — (12) Cant. 2. — (13) Luc. 15.

ALIÆ MULIERES. * Quid est hoc, quod dicit nobis (1)?

MARIA. Vidi Dominum. * Dilectus meus descendit in hortum suum, ut lilia colligat (2). * Ego dilecto meo et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.

* Fulcite me floribus, stipate me malis : quia amore langueo; * quia vidi Dominum. Vidi Dominum (3); * defecit caro mea et cor meum (4), Deus cordis mei!

Vidi, * et corrui corde (5) * pene exanimata (6).

ALIÆ MULIERES. * Quid vidisti (7)?

MARIA. Vidi Dominum : vidi * posita linteamina : vidi (8) * sudarium, quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum; vidi * duos Angelos in albis : vidi sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu : * et ipse, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo (9).

Vidi Dominum, * et hæc dixit mihi (10)..... * Nescio loqui. * Anima mea liquefacta est, ut locutus est (11). * Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. * Loquar et respirabo paululum (12).

* Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem deside-

(1) Joan. 16. — (2) Cant. 6. — (3) Joan. 20. — (4) Ps. 72. — (5) 1. Mac. 6. — (6) Esth. 15. — (7) Gen. 20. — (8) Joan. 20. — (9) Ps. 18. — (10) Joan. 20. — (11) Cant. 5. — (12) Job. 32.

raveram, sedi : et fructus ejus dulcis gutturi meo (1). * Ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis : quia amore langueo. * Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia : et fructus ejus dulcis gutturi meo.

Amore langueo, langueo, amore langueo; * in pace in idipsum dormiam et requiescam (2) : * et somnus meus dulcis mihi (3).

ALIÆ MULIERES *ad invicem.* * Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.

MARIA. * Ego dormio, et cor meum vigilat : et somnus meus dulcis mihi (4).

ALIÆ MULIERES. * Fortis est ut mors dilectio : lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. * Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domûs suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

JESUS *apparens illis.* * Nolite timere : ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt (5).

MARIA. * Vox dilecti mei (6).

MARIA ET ALIÆ MULIERES *procidentes, pedes Jesu tenentes et adorantes eum.* * Ipse Dominus Deus noster (7).

* Benedictus es Domine Deus Israël; * tua est,

(1) Cant. 2. — (2) Ps. 4. — (3) Jer. 31. — (4) Cant. 2. (5) Matth. 28. — (6) Cant. 5. — (7) 1. Par. 16.

Domine, magnificentia, et potentia, et gloria, atque victoria.

Jesus *evanescens ab oculis earum.* * Confidite, ego vici mundum (1).

Maria *et aliæ mulieres abeuntes ad Apostolos concinunt elogium Jesu Christi redivivi.* * Maria Quam gloriosus fuit hodie Rex Israël (2)! * egredimini et videte, filiæ Sion (3). *Cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est (4). * [a] Alleluia (5). * Surrexit, sicut dixit : Alleluia, alleluia (6).

Aliæ mulieres. Quam gloriosus fuit hodie Rex Israël! * Vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum (7), * despectum et novissimum virorum, virum dolorum. * De angustia et de judicio sublatus est; Generationem ejus quis enarrabit?

Generationem ejus * in sinu patris (8)?

Generationem ejus * ex semine David secundum carnem (9)?

Generationem ejus * ex resurrectione mortuorum?

Maria. * Dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua (10); * videbit semen longævum; * in scientia sua justificabit ipse justus multos.

Aliæ mulieres. Surrexit, sicut dixit : * et erit

[a] *Alleluia*, Laudate Dominum.

(1) Joan. 16. — (2) II. Reg. 6. — (3) Cant. 3. — (4) Exod. 15. — (5) Ps. 104. — (6) Matth. 28. — (7) Isai. 53. — (8) Joan. 1. — (9) Rom. 1. — (10) Isai. 53.

sepulchrum ejus gloriosum : Alleluia. * Sepulchrum est hominis Dei : Alleluia, alleluia, alleluia (1).

Maria. Dixit : * Ero mors tua, o mors : morsus tuus ero, inferne. Dixit; Alleluia. Surrexit, sicut dixit; erit sepulchrum ejus gloriosum : Alleluia, alleluia, alleluia (2).

Aliæ mulieres. * Excitatus est tanquam dormiens Dominus (3) : * et percussit inimicos suos in posteriora : opprobrium sempiternum dedit illis. * Contrivit portas æreas : et vectes ferreos confregit : Alleluia (4). * Ante faciem ejus ibit mors, et egredietur Diabolus ante pedes ejus (5).

Maria. * Ego autem in Domino gaudebo : et exultabo in Deo Jesu meo; * et super excelsa deducet me victor in psalmis canentem.

Aliæ mulieres. Quam gloriosus fuit hodie Rex Israël! erit sepulchrum ejus gloriosum. * Coram illo procidens Æthiopes : et inimici ejus terram lingent (6).

Maria. Ego autem in Domino gaudebo : et exultabo in Deo Jesu meo.

Aliæ mulieres. * Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis (7); * specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna; * sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum Regis. * Deus omnis terræ vocabitur (8); * Reges et Re-

(1) IV. Reg. 23. — (2) Osee. 13. — (3) Ps. 77. — (4) Ps. 106. — (5) Hab. 3. — (6) Ps. 71. — (7) Ps. 44. — (8) Isai. 54.

ginæ, vultu in terram demisso, adorabunt te. * Venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te : et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi.

Maria. Ego autem in Domino gaudebo : et exultabo in Deo Jesu meo.

Alleluia, alleluia, alleluia. Surrexit, sicut dixit.

Aliæ mulieres. Dixit : * Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud (1) ; * ille autem dicebat de templo corporis sui. Dixit. * Sicut audivimus, sic vidimus. Surrexit, sicut dixit (2).

Dixit : * Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus : sic erit filius hominis in corde terræ. Dixit. Sicut audivimus, sic vidimus : Alleluia, alleluia, alleluia. Surrexit, sicut dixit (3).

Maria. * Dixit : Ego sum resurrectio et vita : qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet (4); * et omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum. Dixit. Sicut audivimus, sic vidimus. Surrexit, sicut dixit : Alleluia.

Aliæ mulieres. Alleluia, alleluia, alleluia. * Est scriptum in Prophetis : * Vivificabit nos post duos dies : in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus. Sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum. Sicut audivimus, sic vidimus. Surrexit, et vivemus in conspectu ejus (5).

(1) Joan. 2. — (2) Ps. 47. — (3) Matth. 12. — (4) Joan. 11. — (5) Osee. 6.

MARIA. Surrexit * spes mea (1) : Surrexit * vita mea (2) : Surrexit, surrexit, * et vivam : Alleluia (3).

ALIÆ MULIERES. Surrexit * spes nostra (4) : Surrexit * vita nostra (5) : Surrexit, surrexit, et vivemus : Alleluia.

MARIA *simul et* ALIÆ MULIERES. * Invenimus Jesum, et vivemus (6) : * Vidimus gloriam ejus, et vivemus : Sequemur, et vivemus : Alleluia, alleluia, alleluia.

(1) Job. 19. — (2) Thr. 3. — (3) Ps. 118. — (4) Isai. 20. — (5) Sap. 2. — (6) Joan. 1.

CONCLUSIO HUJUS CANTICI.

Excitat se anima Christiana ad amorem Dei. — Rationes diligendi maximopere Deum. — Amor ex Deo est. — Ipse Deus est amor. — Autoritate sua et amore suo legem amoris sancivit Deus. — Beneficia Dei nostrum illi vendicant amorem. — Amor operosus reddit certum fidei testimonium. — Amor est plenitudo legis, et ad Deum via compendiaria. — Nunquam satis diligitur Deus. — Rebus omnibus, quæ tandem desinent, superstes amor æternum manebit. — Tota vita hominis sive præsens sive futura consistit in amore Dei.

* Nos ergo diligamus Deum (1).

Diligamus Deum; * quia caritas ex Deo est : et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum; * qui non diligit, non novit Deum : quoniam Deus caritas est.

Diligamus Deum : quoniam Deus caritas est.

Diligamus Deum; * quia primum omnium mandatum est (2) : * Diliges Dominum Deum tuum. Diligamus * propter nimiam caritatem, qua dilexit nos : dilexit (3) * in caritate perpetua (4) : prior dilexit (5).

Diligamus Deum, * Deum Patrem (6), * qui eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ (7).

Diligamus Deum, * Jesum Filium Dei, * qui di-

(1) 1. Joan. 4. — (2) Marc. 12. — (3) Ephes. 2. — (4) Jer. 31. — (5) Joan. 4. — (6) Gal. 1. — (7) Col. 1.

lexit nos, et lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo (1).

Diligamus Deum * Spiritum Sanctum (2); * quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis (3).

* Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, et veritate; * in hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus, et in conspectu ejus suadebimus corda nostra.

* Plenitudo legis est dilectio (4) : * dilectio, custodia legum est. Custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est (5) : * incorruptio autem facit esse proximum Deo.

Diligamus Deum * ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine (6); * quia major sit Deus homine (7) : * quoniam major est Deus corde nostro (8), * major est omni laude (9).

* Diligite Dominum omnes sancti ejus (10), * reges terræ et omnes populi (11), * juvenes et virgines, senes cum junioribus, * religiosi (12), * Sacerdotes Domini, * Angeli Domini, diligite Dominum * quantumcumque potueritis, supervalebit enim adhuc (13).

Diligamus, diligamus, diligamus. * Adquid valebimus? supervalebit enim adhuc (14).

(1) Hebr. 4. — (2) Apoc. 1. — (3) Act. 1. — (4) Rom. 5. — (5) Rom. 13. — (6) Sap. 6. — (7) Deut. 6. — (8) Job. 33. — (9) 1. Joan. 3. — (10) Eccli. 43. — (11) Ps. 30. — (12) Ps. 148. — (13) Dan. 3. — (14) Eccli. 43.

Diligamus Deum : * Caritas nunquam excidit (1).

* Suis spatiis transeunt universa sub cœlo (2) : * Anni transeunt (3). * Transibit vita nostra (4) ; * Mundus transit (5) : Cœlum, et terra transibunt (6) : Caritas nunquam excidit.

* Sive Prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur : Caritas nunquam excidit (7).

* Nunc manent Fides, Spes, Caritas, tria hæc : major autem horum est Caritas, nunquam excidit.

* Finem loquendi pariter omnes audiamus : diligamus Deum (8) : * hoc est enim omnis homo.

Diligamus, diligamus, diligamus : Hoc est omnis homo, * Nunc in tempore hoc, et in sæculo futuro (9).

(1) 1. Cor. 13. — (2) Eccle. 3. — (3) Job. 16. — (4) Sap. 2. — (5) 1. Joan. 2. — (6) Matt. 24. — (7) 1. Cor. 13. — (8) Eccle. 12. — (9) Marc. 10.

FINIS.

INDICES MEDITATIONUM

AD USUM

MULTIPLICEM EXERCITIORUM SPIRITUALIUM.

PRIMUS INDEX.

Pro peccatoribus præsertim laicis qui a pravitate vitæ convertunt animum ad pœnitentiam.

PRIMA DIES.

Prima meditatio. De creatione. Pag. 1 et conclusio, 16.
Medit. de fine creaturarum, 18.
Prima medit. De vocatione ad fidem, 31.

SECUNDA DIES.

II. medit. De vocatione ad fidem, 35; et renovatio promissorum baptismi, 49.
I. medit. De peccato, 97; et conclusio, 112.
III. medit. De peccato ad præparandam confessionem, 117.

TERTIA DIES.

III. medit. De morte, 142 ; et conclusio una pro statu personæ, 130. Si quis voluerit aliam addere medit. de morte, addat secundam, 137.
I. medit. De Judicio particulari, 155.
III. medit. De inferno, 186, et IV. 190.

QUARTA DIES.

Medit. de æternitate pœnarum inferni, 194.
Medit. de justitia et misericordia Dei, 201.
Meditatio de misericordia Dei erga peccatores pœnitentes, tota vel dimidia cum conclusione, 209.

QUINTA DIES.

I. medit. De incarnatione et nativitate Christi, 222.
Medit. de oppositione Jesu Christi et mundi, 253.
Medit. de cupiditate simul et contemptu divitiarum, 267; et conclusio una pro statu personæ, 272.

SEXTA DIES.

Medit. de superbia et humilitate, 288; addatur I. punctum cantici animæ humilis, 302.
I. medit. De pœnitentia, 314.
Medit. de voluptatibus mundi a Christo patiente condemnatis, 329.

SEPTIMA DIES.

Medit. de regno Jesu Christi coronati spinis, 335.
Medit. de morte Jesu Christi, 342, I, II et V punctum.
Medit. de potestate Jesu crucifixi adversus hostes nostræ salutis, 362.

OCTAVA DIES.

I. medit. De bona morte, 375.
Medit. de praxi rite accipiendi viatici, 396; utilis potest esse hæc Medit. ad percipiendam sanctam Eucharistiam. Medit. de resurrectione peccatoris ad vitam spiritualem, 412.

SECUNDUS INDEX.

Pro laicis qui dirigere vitam student ad normam Evangelii.

PRIMA DIES.

Tertia medit. De creatione, 14.
Medit. de usu creaturarum, 25.
I. simul et III. Medit. de vocatione ad fidem, 31 et 40; cum renovatione promissorum baptismi, 49.

SECUNDA DIES.

II. medit. De peccato, 103.
IV. medit. De morte, 149.
II. medit. De judicio particulari, 164.

TERTIA DIES.

I. medit. De inferno, 174.
Medit. de misericordia Dei erga peccatores pœnitentes, 209.
II. medit. De incarnatione Filii Dei Jesu Christi, 231.

QUARTA DIES.

III. medit. De eodem mysterio, 242.
Medit. de paupertate Jesu Christi cum conclusionibus idoneis, 267.
II. punctum prima medit. De humilitate, 290; ad notam, 292; et secunda medit. de humilitate, 294.

QUINTA DIES.

Canticum animæ humilis, 302.
I. medit. De pœnitentia et de doloribus internis Jesu Christi, 313.
II. medit. De eodem argumento, 318.

SEXTA DIES.

III. medit. De eadem materia et sudore sanguineo Christi, 322.
Medit. de regno Jesu coronati spinis, 335.
Occupationes animæ circa mortem Christi, 342; sive omnes, sive solum idoneæ.

SEPTIMA DIES.

Canticum seu med. de gloria Crucis, 368.
Medit. de desideriis bonæ mortis, 385.
Medit. de praxi accipiendi rite viatici, 396.

OCTAVA DIES.

I. medit. De resur. Christi, 405.
Medit. de sacris ejus plagis, 420.
Medit. sive canticum de divino amore, 426.

TERTIUS INDEX.

Pro sacerdotibus et religiosis qui cœptum vitæ institutum minus fideliter tenuerunt.

PRIMA DIES.

III. medit. De creatione, 14.
I. medit. De vocatione ad fidem, 31; cum renovatione promissorum baptismi, 49.
I. medit. De sacerdotio, 52; vel I. de religione, 72.
Religiosus sacerdos disponet hæc ut voluerit.

SECUNDA DIES.

II. medit. De sacerdotio, 57; vel II. de religione, 79.
III. medit. De sacerdotio, 62; vel III. de religione, 88.
II. medit. De peccato, 103; et secundæ considerationes atque affectiones, 109.

TERTIA DIES.

I. medit. De morte, 126; cum conclusionibus necessariis.
II. medit. De judicio privato, 164.
I. medit. De inferno, 174.

QUARTA DIES.

Medit. de misericordia Dei erga peccatores pœnitentes. Cum prolixior sit, erit pro duabus meditationibus, 209.
I. medit. De incarnatione et nativitate Christi, 320.

QUINTA DIES.

I. punctum et conclusio medit. de oppositione mundi et Jesu Christi, 253, 263.
I. medit. De humilitate, 288.
II. medit. De humilitate, 294.

SEXTA DIES.

Medit. de paupertate Jesu Christi, 267; cum conclusionibus necessariis, 272.
I. et II. medit. De pœnitentia, 314, 318.
Medit. de regno Christi spinis coronati, 335.

SEPTIMA DIES.

Medit. de morte Christi I, II, V et VI punctum, 342.
Medit. de potestate Jesu crucifixi adversus hostes salutis nostræ, 362.
Medit. de exemplis bonæ mortis, 381.

OCTAVA DIES.

Medit. de praxi rite accipiendi sancti viatici, 396.
II. medit. De resur. Jesu Christi, 412.
I. medit. De eodem argumento, 405.

QUARTUS INDEX.

Pro sacerdotibus et religiosis qui cœptum vitæ institutum fideliter tenent.

PRIMA DIES.

Medit. de gloria creatoris, 9.
IV. medit. De vocat. ad fidem, 46.
I. medit. De sacerdotio, 52; vel. I. de religione, 72.
Religiosus sacerdos disponet hæc ut voluerit.

SECUNDA DIES.

II. medit. De sacerdotio, 57; vel II. de religione, 79.
I. medit. De morte, 126.
II. medit. De judicio privato, 164.

TERTIA DIES.

II. medit. De inferno, 178.
Medit. de misericordia Dei erga peccatores pœnitentes, 209
II. medit. De incarn. et nativit. Filii Dei, 231.

QUARTA DIES.

III. medit. De incarnat. et nativitate, 242.
IV. medit. De eodem argumento, 248.
II. punctum I. medit. De humilitate, 290; usque ad notam, 292; et II. med. de humilitate, 294.

QUINTA DIES.

III. medit. De humilitate, seu canticum animæ humilis, 302.
Medit. de paupertate Christi, 267; cum conclusionibus necessariis, 272.
II. et III. medit. De pœnitentia, 318, 322.

SEXTA DIES.

Medit. de regno Jesu spinis coronati, 335.
Occupationes animæ circa mortem Jesu, 342; pro duabus medit.

SEPTIMA DIES.

Medit. seu canticum de gloria Crucis, 368.
Medit. in psalmum de bona morte, 390.
Medit. de praxi rite accipiendi viatici, 396.

OATAVA DIES.

I. medit. De resurrec. Jesu Christi, 405.
II. medit. De sacris ejus plagis, 420.
Medit. seu canticum de amore Dei, 426.

060.32
P285

44985

PAULMIER, S. J., NICOLAUS DE
AUTHOR

Scriptura Sacra In Formam
TITLE

Meditationum Redacta.

DATE DUE | BORROWER'S NAME

J. Cal
Crain
C. Dullea
Crain
Wright
Crain
C. Dulle
Crain
STORAGE

44985

NO. 45

IN U. S. A.